Liber Psalmorum

Duae Versiones

in Latinitatem Vulgato Antiquiorem Conversae:

Psalterium Sebastiani Castellani (1556)

atque

Psalterium Pianum (1945)

Index

PSALMORUM LIBER PRIMUS.

I. *G. Davidis vatis et regis carmen. H.*
1 Beatus homo qui in impiorum consilio non versatur, nec improborum viam insistit, nec in sede scurrarum sedet.
2 Sed Iovae lege delectatur, de ea dies noctesque cogitans.
3 Hic arbori similis est, ad aquae rivum satae, fructum suum suo ferenti tempore, foliis non deciduis, omniaque facit prospere.
4 Impii contra similes sunt paleae, quam ventus agitat.
5 Itaque impii in iudicio, scelerati in bonorum coetu non consistent.
6 Nam et bonorum viam curat Iova, et malorum via peritura est.

II. 1 Quid tumultuantur gentes? populi vana conantur?
2 Conspirant orbis reges? coeunt optimates contra Iovam atque eius unctum?
3 Abrumpamus eorum nexus: abiiciamus eorum vincula.
4 Ridet coelicola: ludificatur eos Dominus.
5 Tandem eos iracunde alloquetur, et sic incandescens perturbabit.
6 Ego vero regem meum in Sionem meum sacrum montem creavi.
7 Narrabo Iovae decretum, qui mihi dixit: Tu filius meus es, ego te hodie genui.
8 Postula a me, et tibi gentes in haereditatem, orbis fines in possessionem dabo:
9 quos tu sceptro regens ferreo, tanquam fictile collidas.
10 Quamobrem sapite, o reges, corrigimini, o terrarum gubernatores.
11 Servite Iovae timide, exultantes trepide.
12 Osculamini natum, ne si indignetur, vestras res praedatis, illius ira protinus incensa: cui felices quicunque confidunt.

III. 1 *Cantio Davidis, Absalomum filium suum fugientis.*
2 O Iova quam multi me infestant? quam multi in me consurgunt?
3 quam multi negant ullam animae meae in Deo salutem esse positam? Sela.
4 Atqui tu, Iova, meus es clypeus, et gloria, quique meum caput extollis.
5 Qui mea voce invocatus, me ex tuo sacro monte exaudis:
6 quo quidem tutante me ita cubo, dormio, expergefio, ut hominum legiones, quae me circumsideant, non reformidem.
7 Age Iova, defende me mi Deus, qui meis omnibus adversariis malas feris, impiorum dentes confringens.
8 Tuum est, Iova, conservare, tuoque tuos favore prosequi. Sela.

IIII. 1 *Praecinenda fidibus cantio Davidis.*
2 Invocantem me exaudi o Deus aequitatis meae qui me ex rebus adversis explicas: miserere mei, et meas exaudi preces.
3 O hominum genus, quousque meam gloriam in infamiam? quousque falsa studentes, amabitis frivola? Sela.
4 At cognoscite ut Iova me pium sibi secreverit quem se invocantem exaudiat.
5 Horrete peccare, haec cum animis vestris cogitantes, in vestris cubilibus, et silete. Sela.
6 Facite sacrificia iusticiae, Iovae confidentes.
7 Verum quis nobis exhibebit bona? (inquiunt multi) collustra nos luce tui vultus Iova,

8 qui meum animum voluptate afficis ob annonam frumenti, atque vini, quibus abundant:
9 quique me solus ita in tuto collocas, ut quiete cubem simul, atque dormiam.

V. 1 *Praecinenda ad lyram cantio Davidis.*
2 Verbis meis ausculta Iova: perpende cogitationem meam: attende meae querelae vocem, mi rex atque Deus. Te enim oro.
3 Iova mane vocem meam audis, mane tibi praesto sum intentus.
4 Neque enim is Deus es cui placeat improbitas, cui familiares sint mali,
5 cuius oculis obversentur insani: Odisti maleficos omnes:
6 falsiloquos perdis: abominaris sanguinarios et fraudulentos, Iova.
7 At ego, pro tua singulari clementia, te, aedem tuam ingressus, religiose ad tuam sacram cellam veneror.
8 Iova deduc me per tuam iusticiam, propter adversarios meos: dirigens ante me tuam viam.
9 Nam in eorum ore nihil certi est: pectus eis dirum est: guttur sepulchrum patens: lingua blandiuntur.
10 Perverte eos Deus: decidant de suis consiliis: ob eorum tot scelera profliga eos, qui sint in te contumaces.
11 Laetentur autem perpetuo, quicunque tibi confidunt: ovent te eos protegente, exultent in te tui nominis amantes.
12 Nam tu Iova iustos beas, eos favoris scuto coronans.

VI. 1 *Praecinenda fidibus ad octavam cantio Davidis.*
2 Iova noli in me iracunde animadvertere: noli me atrociter punire.
3 Miserere mei aegrotantis Iova: sana me Iova, et membris et animo valde perturbatum: tu vero Iova quid cunctaris?
4 Reconciliare Iova: libera hanc animam: conserva me pro tua clementia.
5 Nam in morte quidem quae tui fiet mentio? apud inferos quis tibi gratias aget?
6 Fessus sum gemendo: lectum meum totas noctes madefaciens: cubile lachrymis humectans.
7 Oculi mihi prae moerore contabescunt, et inter tot hostes meos consenescunt.
8 Facessite a me omnes malefici: nam exaudit Iova meam vocem flebilem.
9 Exaudit Iova meam supplicationem: Iova meas preces admittit.
10 Pudeat cum vehementi perturbatione omnes inimicos meos: aversos pudeat protinus.

VII. 1 *Defensio Davidis, quam Iovae cecinit ob Aethiopem Ieminiensem.*
2 Iova mi Deus, cui confido, defende et libera me a meis tot infestis, ne ille quasi leo raptam mihi vitam laceret indefensam.
3 Iova mi Deus, si id feci: si sontes manus habeo:
4 si malum malo rependi, aut mihi immerito adversantem spoliavi: insectetur hostis hanc animam, assecutusque meam vitam ad terram proculcet, et gloriam pessundet humi. Sela.
5 Insurge Iova in iram: incitare propter adversariorum meorum saevitiam, et de me quod decrevisti iudicium repraesenta,
6 populosaque stipatus concione, eam ob causam in sublimi sedeto.
7 O Iova, populorum arbiter, iudica de me ex innocentia atque integritate, qua sum praeditus.

8 Quaeso te, ut coercita impiorum perversitate, iustos confirmes, o iuste Deus, qui corda exploras atque renes.
9 Meum quidem praesidium in Deo situm est, conservatore hominum frugi.
10 Qui quidem Deus iudex iustus est: Deus quotidie minatur.
11 At iste non solum non se corrigit, sed etiam gladium suum acuit: arcum intendit, et componit,
12 comparatis ad hoc telis mortiferis, et factis ad instandum sagittis.
13 En parturit iniquitatem: et facinore gravidus, nefas pariet.
14 Fossam excindit, et cavat, casurus in foveam a se factam.
15 Retorquebitur eius conatus in caput ipsius, eius iniustitia in ipsius verticem deferetur.
16 At ego Iovam, ut eius iustitia dignum est, celebrabo, Iovae nomen cantans supremi.

VIII. 1 *Praecinenda ad Githith cantio Davidis.*
2 O Iova Domine noster, quam nobile tuum nomen est in toto orbe terrarum? qui cum tuam maiestatem in coelis collocaveris,
3 per os infantium et lactentium potentiam, propter adversarios tuos, fundas in coercendis hostibus et infestis.
4 Equidem cum coelos, opera digitorum tuorum, cum lunam et stellas a te conditas video:
5 quid est homo, ut eius memineris? quid est homine natus, ut eum cures?
6 Atqui eum propemodum Deum fecisti, tantaque gloria et autoritate ornasti,
7 ut operum tuarum manuum Dominum feceris, omniaque eius pedibus subieceris,
8 non solum pecora omnia, tam maiora, quam minora, verum etiam bestias agrestes,
9 volucres aereas, et pisces marinos, marina peragrantes itinera.
10 O Iova Domine noster, quam nobile tuum nomen est in toto orbe terrarum?

IX. 1 *Praecinenda ad Muthlabben cantio Davidis.*
2 Celebrabo te Iova tota mente, narrans tua tot miracula:
3 laetabor et exultabo in te, tuum cantans supremum nomen:
4 cum retro versi hostes mei per te lapsi perierint.
5 Nam tu causam, litemque meam agis, pro iusti iudicis tribunali sedens.
6 Tu gentes protelas: impios perdis, eorum nomen in omnem abolens aeternitatem.
7 O hostis, desiere perpetuo vastationes: tu quidem urbes sic evertisti, ut earum memoria simul perierit.
8 Sed Iova, composito ad iudicium tribunali suo, sedet in perpetuum:
9 et mundum iuste iudicans, ius populis ex aequo dicet:
10 eritque Iova praesidio tenuibus, praesidio in temporibus adversis.
11 Et tibi Iova confident, qui tuum novere nomen: qui quidem tui studiosos non deseras.
12 Cantate Sionis habitatorem Iovam, praedicando per populos eius naturam:
13 qui eorum quos curat iniurias persequatur, haud immemor inopum querimoniae.
14 Miserere mei Iova: aspice ut a meis opprimar osoribus: retrahe me de ianua lethi:
15 ut in tua exultans tutela, tuas tot laudes intra puellae Sionis portas, sic enarrem:
16 Demerguntur in factam a se foveam gentes: capitur earum pes occultato ab ipsismet reti:
17 patet Iovam ius facere impiis suarum opere manuum irretitis. Higaion Sela.
18 Retro labentur in tartara impii, gentes omnes immemores Dei.
19 Neque enim perpetuo erunt in oblivione pauperes, non semper erit irrita spes inopum.

20 Insurge Iova, ne corroborentur homines, iudicentur apud te gentes.
21 Statue eis Iova documentum, quo se homines esse, gentes intelligant. Sela.

X. 1 Cur Iova procul abes? cur lates in temporibus adversis?
2 Impii superbe insectantur inopes, suis ipsi conatibus capiendi.
3 Nam sibi placet impius in sua libidine, et sibi Iovae contemptor avarus gratulatur.
4 Impius (qua est arrogantia) non solum Deo non studet, verum etiam omnes eius conatus eo spectant, nullus ut Deus esse videatur.
5 Eius facta semper atrocia sunt: et sublatis ab eius conspectu tuis placitis, omnes infestos suos floccifacit.
6 Et quoniam in malo non est, nunquam se convellendum cogitat.
7 Periurio plenum os habet, fraudibusque et perfidia: subest eius linguae facinus atque scelus.
8 Subsidet in insidiis triviorum, ex occulto occisurus insontes, oculis in desertos intentis.
9 Insidiatur ex occulto, veluti leo ex lustris: insidiatur ad inopes invadendos: inopes invasurus, in suum rete pertractos.
10 Contrahit humiliter se, ut eius impotentia cadant derelicti:
11 cogitans Deum immemorem esse, abditoque vultu, nunquam haec aspecturum.
12 Surge Iova Deus, affer manum tuam, noli inopum oblivisci.
13 Cur Deum contemnat impius, te non esse animadversurum cogitans?
14 Vides enim, et ita facinorosam cernis improbitatem, ut eam in potestatem tuam redigas: tu derelictorum tutor, et pupillorum defensor.
15 Frange brachium impiorum, atque perversorum, ita ut eorum impietas, si quaeratur, non extet.
16 Iova tu rex es in omnem aeternitatem, cuius de terra pereunt gentes.
17 Inopum vota exaudis Iova, eorum mentes componens, aurem praebens,
18 pupillis tenuibusque patrocinans, ne deinceps amplius terrestres grassentur homines.

XI. 1 *Praecinendum Davidis.*
2 Cum Iovae confidam, cur animae meae sic dicitis? facesse in vestrum montem volucris.
3 Ecce autem arcus intendunt impii, adaptatis ad nervum suis sagittis, ut clam in homines frugi iaculentur.
4 Quod si fundamenta diruuntur, quid agent iusti?
5 Iova in suo sacro palatio, Iova in coelis habens solium, suis oculis aspicit, suis luminibus hominum genus probat.
6 Iova iustos approbans, impios autem et iniustitiae amantes, animi odio prosequens,
7 in impios tendiculas, ignem, sulphur, atrocemque ventum depluet, haec sors est eis exantlanda.
8 Iustus enim Iova virtutes amat, praesensque probitatem contemplatur.

XII. 1 *Praecinenda ad octavam cantio Davidis.*
2 Succurre Iova: nam defecere pii, desierunt fideles esse in hominum genere.
3 Nequiter loquuntur inter sese blandis labris, mente duplici loquuntur.
4 Excindat Iova omnia blanda labra, linguam magniloquam,
5 ita dicentium: Nos linguis nostris pollebimus: labra nostra penes nos sunt: quis noster est dominus?

6 Propter inopum calamitatem, propter egenorum gemitum, iamiam se surrecturum Iova promittit, et eis salutem contra illos eorum contemptores allaturum.
7 Promissa Iovae promissa pura sunt, ut in argilacea exploratum fornace argentum, septies perpurgatum.
8 Tu Iova conserva eos, tuere nos ab hac natione in perpetuum.
9 Ubique obversantur impii, excellente apud hominum genus nequitia.

XIII. 1 *Praecinenda cantio Davidis.*
2 Quousque tandem Iova immemor eris mei? quousque mihi tuum vultum subtrahes?
3 Quem ad finem interim animo sollicitus, mente anxius ero? quousque mihi meus insultabit hostis?
4 Respice, exaudi me Iova, mi Deus, illustra meos oculos, ne mortem dormiam:
5 ne meus hostis me a se victum iactet: ne, me labefacto, mei exultent adversarii.
6 Ego vero tua fretus clementia, in tuo praesidio mente exultabo, Iovam sic de me promeritum canens.

XIIII. 1 *Praecinendum Davidis.*
Cogitant cum animis suis insani, non esse Deum: adeo depravata et detestanda sunt natura, ut nullus recte faciat.
2 Iova de coelo despexit hominum genus, ut videret num quis ita saperet, ut Deum curaret.
3 Universi (proh scelus) deflexerunt, ut non sit qui recte faciat, ne unus quidem.
4 An non intelligunt tot malefici, qui meos comedunt, sese panem comesse Iovae, quem non invocant?
5 Sed aliquando pavore corripientur: nam Deus adest generi iustorum.
6 Vos inopum consilium exprobratis, quorum fiducia Iova sit.
7 Quis ex Sione salutem det Israelitis? ut Iova suos revocante captivos exultent Iacobei, laetentur Israelitae?

XV. 1 *Davidis cantio.*
Iova quis deget in tabernaculo tuo? quis in tuo sacro monte habitabit?
2 Qui sincere se gerit, aequumque facit, et verum ex animo loquitur.
3 Qui lingua sua non detrectat: non malefacit alteri: dedecus aliis non imponit.
4 Qui improbos despectui habens, Iovae reverentes honorat: quodque iuravit alteri, non revocat.
5 Non pecuniam suam foenerat, non donum adversus innocentem accipit.
6 Haec qui facit, nunquam convelletur.

XVI. 1 *Davidis segmentum.*
2 Custodi me, o Deus, qui tibi confido,
3 quique Iovae sic dico: Cum tu sis Dominus, meorum bonorum non indigus:
4 Ego me sanctis et nobilibus in terra versantibus unice oblecto.
5 At eorum, qui multo cum labore alio properant, neque libamina cruenta libo, neque nomina meis usurpo labiis.
6 Tu Iova, qui mihi pro legitima possessione et conditione es, meam sortem sustines.
7 Accidit mihi amoena regio: evenit mihi elegans haereditas.

8 Grates ago Iovae, qui mihi sic consulit, ut etiam mei renes me noctu castigent.
9 Iovam mihi iugiter habeo propositum, quo mihi dextero non labefiam.
10 Itaque non tantum animo et mente laetor, et exulto, verumetiam ipsum corpus meum tuto degit: quoniam tu non es animam meam relicturus Orco, non es passurus ut pius tuus corruptionem patiatur.
11 Sed me vitae viam docebis tu, apud quem plena gaudiorum adest copia, cuius in dextera perennes sunt voluptates.

XVII. *Davidis precatio.*
1 Audi Iova innocentiam, attende meae querimoniae: ausculta precibus, quas non fallacibus profero labiis.
2 A te meum ius proficiscatur: spectent oculi tui aequitatem.
3 Probes licet meum cor, et me nocte aggressus explores: non deprehendes me aliud in pectore, aliud in ore habere.
4 Quod ad hominum facta attinet, ego ex tuorum labiorum sententia inhumanorum vias evito.
5 Sustine gressus meos in tuis orbitis, ne mea labefiant vestigia.
6 Ego te ideo invoco, quoniam tu mihi exoraris, Deus: praebe mihi tuam aurem, et exaudi meam orationem.
7 Utere tua mirifica clementia, qui tua fretos dextera defendis ab insurgentibus in ipsos.
8 Custodi me ut oculi pupillam, abdens me in alarum umbra tuarum,
9 ob impios qui me infestant: ob hostes meos, qui meae necis cupidi, me circumvallant:
10 et ore obesitate farcto, superbe loquuntur:
11 iamque gressus nostros obsident, oculis ita compositis, ut ad terram conquiniscant:
12 similes avido rapiendi leoni, aut in latibulis sedenti leunculo.
13 Exurge Iova: praeverte atque perdoma illos:
14 defende hanc animam ab impiis, gladio tuo:
15 a mortalibus, manu tua Iova, a mortalibus mundanis, qui sua habent in hac vita, te eorum ventres de tuo penu ita replente, ut satientur inde nati, reliquiasque suas posteris suis relinquant.
16 At ego per iustitiam vultum tuum videbo, tum satiandus, cum tua experrecta fuerit imago.

XVIII. 1 *Praecinendum cultoris Iovae Davidis, qui Iovae huius verba carminis dixit, cum eum Iova liberasset, cum a caeteris omnibus eius hostibus, tum a Saulo.*
2 Adamo te Iova, meae vires.
3 Iova mea rupes est, arx mea, meus liberator, meus Deus, meum numen cui confidam, meus clypeus, et meae cornu salutis, meumque propugnaculum.
4 Quem Iovam cum laudatum invoco, defendor a meis hostibus.
5 Cum me mortis lora circumcingerent, improborum torrentes turbarent,
6 Orci lora circundarent, mortis laquei praepedirent:
7 in hac mea angustia invocatus a me Iova, imploratus a me Deus meus, meam vocem de suo exaudivit palatio, meaque ad eum querimonia ad eius pervenivit aures.
8 Tum commota tellus contremiscere, et concussae montium moles cohorrescere: namque iratus ille,
9 fumum naribus exhalans, ardentem ignem faucibus eiaculans, et carbonibus

exardescens,
10 proclinato coelo descendebat, ac subiecta pedibus suis caligine,
11 in Cherubo inequitans volabat, seque alis venti librabat.
12 Circundederat autem sibi quasi latebram tenebrarum, atrarumque aquarum, et aetherearum nubium quasi umbraculum.
13 Quibus nubibus ad eius praesentiae fulgorem discussis, grando et candentes emicabant carbones.
14 Tum Iova supremus de coelis intonare, cumque fragore grandinem et igneos agere carbones,
15 telaque sua iaculans illos dissipare, et crebris reddere fulguribus attonitos.
16 Ad has Iovae minas, et spirantem ex eius naribus ventum, aperti sunt aquarum gurgites, et fundamenta patefacta mundi.
17 Tum ille me desuper recipiendum, et ex tam multis aquis curavit extrahendum,
18 me liberavit ab hoste meo tam valido, ab adversariis meis qui erant me potentiores.
19 Illi quidem me meo periculosissimo tempore invaserant: sed Iova mihi adminiculatus,
20 me in apertum eduxit, et pro suo erga me favore tutatus est.
21 Remuneratus est me Iova digna mea innocentia mercede, et digno mearum manuum puritate praemio affecit.
22 Nam Iovae praescripta conservaveram, nec impius erga Deum meum fueram.
23 Quin eius omnia iura mihi habueram proposita, nec eius instituta a me reieceram: sed erga eum integer, a vitio me abstinueram.
24 Ergo mihi Iova dignum innocentia mea, et manuum sinceritate sibi perspecta, praemium rependit.
25 Tu te benignis benignum, integris viris integrum,
26 puris purum, perversis intractabilem praebes.
27 Nam et inopes homines defendis, et superborum deprimis supercilia.
28 Etenim tu mihi lucem accendis, tu Iova mi Deus meas tenebras lumine disiicis.
29 Ergo per te cuneos perrumpo, per Deum meum transilio muros:
30 cuius Dei ratio simplex, cuius Iovae promissa proba sunt:
31 qui omnibus sibi fidentibus est quasi clypeus.
32 Nam quis est Deus praeter Iovam? quod est numen, excepto Deo nostro?
33 qui Deus me viribus accingit, et mores meos reddit integros:
34 qui meos pedes cervinos efficiens, in edita me loca sistit:
35 qui manus meas ad bellum sic edocet, ferreos ut arcus hisce frangam lacertis.
36 Tu mihi defensionis tuae clypeum subministras:
37 Tu me tua et dextera sustentas, et mansuetudine auges,
38 adeoque gressus meos sub me explicas, ut mea non titubent vestigia.
39 Ergo meos persequens hostes assequor, nec nisi confectis illis revertor:
40 et eos ita trucido, ut surgere nequeant, mihi sub pedes collapsi.
41 Tu mihi virtute ad bellum accincto, meos adversarios subiicis:
42 mihi hostes terga dare cogis, ita ut infestos meos evertam,
43 invocantes illos quidem, sed indefensos, Iovam, sed non exaudientem,
44 dum ego eos quasi pulverem in auras comminuo, et tanquam vicorum lutum contundo.
45 Tu me ex populi seditionibus liberas, et gentium caput efficis,
46 adeo ut mihi ignoti serviant homines, et ad nutum obediant.
47 Genus extraneum mihi perdomatur: genus extraneum concidit, intra sua claustra

formidans.
48 Vive Iova, tibi grates numen meum, extollendus es Deus meae salutis,
49 Deus qui mihi supplicia sumere das, populosque domas:
50 qui me ex hostibus meis eripis, ab infensis meis vindicas, a crudeli homine liberas.
51 Quare te celebrabo apud gentes Iova, tuum nomen cantans,
52 qui tantas regi tuo victorias concilies, in unctum tuum Davidem, inque eius stirpem beneficia conferens aeterna.

XIX. 1 *Praecinenda cantio Davidis.*
2 Coeli enarrant Dei gloriam, et opus eius manuum ostendit aether.
3 Cuius rei cognitionem parit dierum noctiumque vicissitudo, quasi fundens orationem:
4 idque ita, ut nullus sermo, nulla lingua sit, ubi non audiatur eorum vox:
5 quorum regula ad omnes terras, quorum oratio ad ultimum pertingat orbem: in illis quidem tabernaculum posuit solis,
6 Qui quasi sponsus prodit ex suo lecto geniali, exultans ut athleta ad decurrendum curriculum.
7 Atque ab ultimis coeli carceribus profectus, ad alterum pergit extremum, nec quicquam est quod eius lateat ardorem.
8 Iovae lex integra animum recreat: Iovae fidum oraculum ex infante reddit sapientem.
9 Iovae mandata recta mentem exhilarant: Iovae pura disciplina illustrat oculos.
10 Iovae castus metus perpetuo manet:
11 Iovae sententiae verae simul et aequae sunt,
12 longe et auro obrizoque iucundiores, et favorum dulciores nectare.
13 Et quidem ego tuus eis instructus sum, in quibus sane obeundis amplum quaeritur praemium.
14 Sed errores quis perspiciat? ab occultis expia me,
15 tum etiam ab eis, quae data opera commisi, vendica tuum me, ne dominentur in me: tum integer ero, et a tot peccatis innocens.
16 Macte esto hac et oris mei oratione, et mentis cogitatione, Iova meum numen, atque vindex.

XX. 1 *Praecinenda cantio Davidis.*
2 Exaudiat te Iova temporibus adversis: protegat te nomen Dei Iacobeorum.
3 Mittat auxilium tibi ex fano, ex Sione tibi opituletur.
4 Memor sit tuorum tot fertorum, hostiamque tuam vertat in cinerem. Sela.
5 Det tibi quod habes in animo, et omne tuum consilium perficiat.
6 Nos in tua victoria ovabimus, in Iovae Dei nostri nomine signa extollentes, qui Iova omnia postulata tua perficiat.
7 Nunc intelligimus Iovam de suo sancto coelo exoratum, defendere unctum suum, salutaris dexterae suae viribus.
8 Alii currus, alii equos: at nos Iovae Dei nostri nomen memoramus.
9 Illi subacti cadent: at nos erecti consistemus,
10 Iova regem defendente, et nos invocantes exaudiente.

XXI. 1 *Praecinenda cantio Davidis.*
Iova in tua potentia gaudet rex, inque tua defensione exultat maiorem in modum:

2 ut cui tu mentis optata concesseris, nec orationis postulata denegaveris. Sela.
3 Nam eum egregiis affecisti beneficiis, eiusque capiti auream imposuisti coronam:
4 et vitam a te roganti aetatis longitudinem dedisti perennem.
5 Magna eius est tuo praesidio gloria, qui praeter decus, et autoritatem, quam ei tribuisti,
6 etiam faustitatem concilies aeternam, eum tui voluptate vultus laetificans.
7 Nam Iova, supremique clementia fretus rex, non convelletur.
8 At hostes tuos omnes assequetur ista manus: ista dextera tuos adversarios deprehendes:
9 eosque tum, cum irasceris, o Iova, quasi in ardentem redactos fornacem, ira tua
conficies, atque igne consumes:
10 eorumque foetum ex orbe terrarum, eorum stirpem ex hominum genere tolles.
11 Moliuntur enim tibi malum, conantur scelus, quod non poterunt.
12 Nam tu eis pro scopo collocatis, recta in eos tuis nervis collineabis.
13 Insurge Iova cum tua potentia: nos tuam carminibus virtutem cantabimus.

XXII. 1 *Praecinenda super aurorae cerva, cantio Davidis.*
2 Mi Deus, mi Deus, cur me dereliquisti? cur a meis verbis querulis remota salus est?
3 Ego voco mi Deus interdiu, nec tu exaudis: noctu et quidem sine ulla intercapedine.
4 Atqui tu sanctus ille manes, laus Israelitarum.
5 Tibi confisi sunt maiores nostri, et tu confidentes liberasti.
6 Te invocantes liberati sunt: tibi confidentes, non sunt frustrati.
7 At ego vermis sum, non homo: hominum opprobrium, et populi contemptus.
8 Quicunque me vident, sannis, et capitis nutu sic illudunt: Iova nixus est, liberet eum,
eripiat eum, postquam eius tam cupidus est.
9 Tu quidem is es qui me ex alvo extraxisti, qui mihi etiam sub maternis uberibus
fiduciam dedisti.
10 Tibi iam ab utero commissus sum, ab alvo matris meae tu mihi Deus es.
11 Noli a me abesse in tam praesenti periculo, subveniente nullo.
12 Tot me tauri circundant, opimi boves Basanici circumsident, faucibus inhiant mihi
leones rapaces, et rugientes.
13 Diffluo ut aqua: dissolvuntur omnes artus mei: cor mihi mediis in visceribus quasi
cera colliquescit.
14 Arescunt tanquam testa vires meae: lingua mihi faucibus adhaeret: denique tu me in
mortis cinerem redigis.
15 Circumsistunt enim me canes, me circumvallat improborum caterva, qui mihi manus
et pedes perfoderunt.
16 Enumerare possem omnia ossa mea, ipsi me intuentes aspiciunt:
17 meaque inter sese vestimenta partiti, super veste mea sortem iecerunt.
18 Tu vero Iova abesse noli: o meae vires, ad succurrendum mihi festina:
19 Eripe animam meam ex gladio, hanc unicam ex caninis unguibus.
20 Defende me ab ore leonis: assere me a cornibus monocerotiis.
21 Praedicabo nomen tuum meis fratribus, in medio te coetu collaudans.
22 Qui Iovam reveremini, laudate eum: hunc omnes Iacobi posteri honorate, hunc
formida omnis Israelitica progenies:
23 qui quidem inopum inopiam non despiciat, aut abhorreat: nec eos aversetur, sed
clamantes exaudiat.
24 A te mea laudatio in frequenti conventu, dum mea vota reddam apud tui reverentes.

25 Comedent inopes ad satietatem: Iovam laudabunt eius studiosi, animisque vivent in perpetuum.
26 Iovae memores ad eum se convertent omnes orbis regiones, et te coram omnes gentium nationes adorabunt:
27 Iova regnum tenente, et gentibus imperante.
28 Comedent, et adorabunt omnes orbis opulenti, ei se summittent omnes qui in pulverem rediguntur:
29 eorumque progenies, quorum vita non perdurat, eum colent, et Domini fiet in futurum mentio:
30 venientque qui posteris exponant, qua sit usus iustitia.

XXIII. 1 *Davidis cantio.*
Pastor meus est Iova, nihil mihi deest:
2 In graminosis pascuis me stabulat: me ad tranquillas ducit aquas,
3 meum recreat animum, me per iustitiae semitas propter suum nomen deducens.
4 Itaque licet per atram letiferamque vallem ingrediar, nihil mali metuam, quod tu mihi adsis, meque tua virga consoletur et pedum.
5 Tu mihi mensam instruis in adversariorum conspectu meorum, meumque caput unguento perungis, exuberante meo poculo.
6 Quinetiam, me bonitas et benignitas, quamdiu vivam, sequetur, incolamque Iovae domum longo aevo.

XXIIII. 1 *Davidis cantio.*
Iovae est terra, et quicquid ea continetur: orbis, et eius incolae.
2 Nam ipse eam super mari fundavit, superque fluminibus fixit.
3 Quis ascendet in montem Iovae? quis in eius sacro loco stabit?
4 Qui et insontibus manibus, et pura mente praeditus est: qui non animo suo ad nequitiam utitur, neque malitiose iurat.
5 Is a Iova felicitatem, a Deo servatore suo beneficentiam consequetur.
6 Hoc est genus studiosorum Iovae, videlicet Iacobeorum, qui sunt eius praesentiae cupidi. Sela.
7 Attollite portae capita vestra: efferte vos aditus aeterni, rex ut gloriosus intret.
8 Quis est iste rex gloriosus? Iova potens, et fortis, Iova fortis bellator.
9 Attollite portae capita vestra, efferte vos aditus aeterni, rex ut gloriosus intret.
10 Quis est iste rex gloriosus? Iova armipotens rex est gloriosus. Sela.

XXV. 1 *Davidis.*
Ad te Iova animum meum attollo,
2 tibi mi Deus confido, effice, ne frustrer, ne mihi insultent hostes mei.
3 Et sane quicunque in te sperant, non frustrantur: frustrantur perfidiosi nequam.
4 Vias tuas ostende mihi Iova, semitas tuas doce me.
5 Dirige me per tuam veritatem, me docens: nam tu Deus es meae salutis, in quo perpetuam spem habeo.
6 Memento tuae misericordiae Iova, atque benignitatis, quae sunt ab omni aeternitate.
7 Meae iuventutis peccata atque delicta meminisse noli, ut postulat tua clementia: memento mei pro bonitate tua Iova.

8 Bonus et aequus est Iova, itaque sontes viam docet:
9 inopes ad aequitatem dirigit, eosque suam docet viam.
10 Omnes Iovae rationes clementia sunt, et veritas, iis qui eius foedus et oracula conservant.
11 Propter nomen tuum Iova, da veniam meae culpae, quae multa sane est.
12 Si quis homo est, qui Iovam metuat, huic ille viam demonstrabit, quam eligat.
13 Et ipse in bonis versabitur, et eius posteritas terram possidebit.
14 Iovae metuentibus patefit eius arcanum, atque foedus.
15 Iovam in oculis semper habeo: nam is meos pedes explicat ex retibus.
16 Respice me, et miserere mei, qui desertus et inops sum.
17 Ingentibus animi premor angoribus: educ me ex meis periculis:
18 Aspice meam miseriam et labores, et ignosce meis omnibus peccatis.
19 Aspice quam multi sint hostes mei, qui me atroci persequuntur odio.
20 Serva hanc animam, et me libera, ne me tibi confidisse pudeat.
21 Conservent me integritas et aequitas, qui in te spem habeam.
22 Vindica Deus Israelitas ex omnibus eorum angustiis.

XXVI. 1 *Davidis.*
Patrocinare mihi Iova, qui me innocenter gero, immotam in Iova fiduciam habens.
2 Experire et tenta me Iova, meos renes atque cor explorans.
3 Equidem benignitatem tuam mihi ob oculos positam habeo, et in tua veritate versor.
4 Non ago cum hominibus nequam: non cum facinorosis versor.
5 Odi coetum malorum: cum impiis non ago.
6 Lavo meas manus innocentia, et aram tuam Iova circundo,
7 ut laudes voce personem, et tua tot enarrem miracula.
8 Iova amo tui fani domicilium, tuique gloriosi locum tabernaculi.
9 Noli meam animam ad improbos, vitam ad sanguinarios aggregare:
10 quorum manus flagitiis, quorum dexterae corruptelis refertae sunt.
11 Ego me gero innocenter, assere me, et miserere mei.
12 Pes meus recte constat, in coetibus agam Iovae gratias.

XXVII. 1 *Davidis, G. cantio priusquam ungeretur, H.*
Iova mea lux et salus est, ecquem metuam? Iova meae vitae firmamentum est, ecquem formidem?
2 Si me scelerati, adversarii, et hostes mei invadant, ut meum corpus comedant, offensuri sint atque casuri.
3 Si contra me castra fiant, non metuam animo: si in me bellum surgat, tamen confidam.
4 Unum a Iova petii, idemque oro, ut in Iovae domo per omnem vitam meam habitem:
5 Iovae contemplans amoenitatem, et eius cellam perlustrans.
6 Is enim me temporibus adversis abdit in suo tentorio: me abscondit in tabernaculi sui latebra, me in rupem evehit.
7 Iamque meum caput efferet supra meos hostes, qui me circumsistunt, itaque in eius tabernaculo mactabo victimas adoreae, canens, cantansque Iovam.
8 Exaudi Iova meam invocantis vocem, miserere mei, exoratus a me.
9 Sic animo cogito, velle te tuum quaeri conspectum: tuum conspectum Iova quaero,
10 noli tuum mihi conspectum subtrahere, noli me tuum iracunde aversari, qui meum sis

praesidium: ne me desertum relinque Deus meae salutis.
11 Nam etiamsi me pater materque deserant, tu me Iova receptas.
12 Doce me Iova tuam vivendi viam, et me recta semita deduc, propter meos adversarios.
13 Ne me hostium meorum libidini dedito: nam in me surgunt falsi testes, et est qui crimen conflet.
14 Quanquam confido me Iovae bona visurum in terra viventium.
15 Spem habe in Iova, fortis et constantis animi esto, in Iova spem habens.

XXVIII. 1 *Davidis.*
Te Iova invoco, meum numen: noli te mihi praebere surdum, ne neglectus a te fiam quales qui descendunt in barathrum.
2 Exaudi meam vocem supplicem, qua te sublatis ad tuum sacrum penetrale manibus, imploro.
3 Noli me impiorum et maleficorum habere numero, qui cum aliis amice loquentes, malitiam gerunt in pectore.
4 His tu digna suis factis, et morum pravitate praemia repende: hos ut postulant eorum actiones, remunerare:
5 his dignam ipsorum meritis solve mercedem: qui Iovae facta et manuum opera non perpendant, iccirco per eum a stirpe evertendi.
6 Gratias ago Iovae, qui meam supplicantis vocem exaudiat.
7 Iova meae vires et clypeus est, cui animo confido: a quo adiutus, animo exulto, eumque meo carmine celebro.
8 Iova suorum potentia est, et victoriarum uncti sui firmamentum.
9 Serva tuos, tuaeque haereditati fave, eos regens atque evehens in perpetuum.

XXIX. 1 *Davidis cantio, G. incentionis tabernaculi, H.*
Tribuite Iovae, o divum genus, tribuite Iovae gloriam atque potentiam.
2 Tribuite Iovae nomini gloriam, colite sacra praeditum maiestate Iovam.
3 Iovae sonitus aquis incumbit, Deus gloriosus tonat, Iova multis incumbit aquis.
4 Iovae sonitus robore, Iovae sonitus praeditus est autoritate.
5 Iovae sonitus frangit cedros, perfringit Iova cedros Libani:
6 efficitque ut vitulorum ritu subsiliant Libanus et Sarion, more pullorum unicornium.
7 Iovae sonitus flammas erumpit igneas, Iovae sonitus tremefacit saltum, tremefacit Iova saltum Cadem.
8 Iovae sonitus cervas parere facit, sylvasque nudat, cuius gloriam in eius fano cuncti praedicent.
9 Iova manet in nimbis, et manet Iova rex in sempiternum.
10 Iova suis potentiam dat, Iova suos pace fortunat.

XXX. 1 *Cantio Carminis dedicationis domus Davidis.*
2 Extollam te Iova qui me allevaveris, neque meos hostes de me laetificaveris.
3 Iova mi Deus tu me invocantem sanasti:
4 tu Iova meam animam revocasti ab Orco, et me a funere vindicasti.
5 Cantate Iovam vos eius pii, eius sacram celebrantes memoriam:
6 cuius ea est et irae brevitas, et favoris longinquitas, ut si vespere fletus incumbat, adsit mane laetitia.

7 Equidem cum in tanta felicitate fuissem, ut mihi nunquam labefactandus viderer,
8 (quandoquidem tu Iova pro tuo favore meum montem in tuto collocaveras) deinde te
vultum tuum abscondente perturbatus essem,
9 invocavi te Iova, supplicavi Domino in hunc modum.
10 Quodnam futurum est in meo lucrum sanguine, si ad interitum adactus fuero? nunquid
te pulvis celebrabit? nunquid tuam fidem praedicabit?
11 Exaudi Iova, et miserere mei, teque mihi defensorem praebe.
12 Tum tu meum moerorem in chorum vertisti, meque exutum centone, amicivisti
gaudio.
13 Itaque sine intermissione honorifice cantaberis, Iova mi Deus, me tibi immortales
agente gratias.

XXXI. 1 *Praecinenda cantio Davidis, G. ecstasis, H.*
2 Tibi Iova confido, ne me unquam pudeat, me pro tua aequitate libera.
3 Praebe aurem mihi, propera me eripere: esto mihi firma rupes, tuta domus ad me
conservandum.
4 Nam tu mihi petra et propugnaculum es, qui me tui nominis causa ducas atque
perducas:
5 qui me ex reti expedias, quod contra me occultatur: quandoquidem tu meum es
firmamentum.
6 Tibi in manum commendo spiritum meum: qui me redimis, Iova Deus fidelis.
7 Odi eos qui improbitatem nequiter retinent, ipse Iovae confidens.
8 Exultabo laetus in tua clementia, qui meam respexeris inopiam, cognitis animi mei
angoribus:
9 neque me in hostilem manum impegeris, sed meos explicaveris pedes.
10 Miserere mei Iova, qui tanta sum in angustia, ut mihi prae moerore et oculi et animus
et venter contabescat.
11 Me prae aegritudine et gemitu vita deficit, et aetas: mihi carpuntur in hoc supplicio
vires, et membra consenescunt.
12 Omnibus inimicis meis ostentui sum, et maxime vicinis:
13 Abhorrent me mei familiares: qui me foris vident, a me recedunt.
14 Animi oblivioni traditus, perinde ac mortuus, sum quasi vas perditum.
15 Nam a multis audio contumelias, terrore circumsessus conspirantium contra me, et
mihi animam eripere conantium.
16 Ego vero te Iova fretus, Deum meum appello,
17 cuius in manu tempora sunt mea: libera me ex hostium meorum manu, et ex meis
infestis.
18 Illustra tuum me tuo conspectu, conserva me pro tua clementia.
19 Iova ne frustrer, qui te invoco:
20 frustrentur impii, et compescantur Orco.
21 Obmutescant labra mendacia, quae contra iustos arroganter et fastidiose dicunt atrocia.
22 O quam multa sunt bona tua, quae tui metuentibus recondidisti, quibus tibi confidentes
afficis coram humano genere?
23 Tu eos in tui conspectus latebra subtrahis hominum importunitatibus, eos quasi
tegmento protegens a linguarum iurgiis.
24 Gratias ago tibi Iova, qui tua in me clementia mirifice usus sis in urbe munita:

25 qui cum ego in rerum mearum trepidatione putarem me ab oculorum tuorum
conspectu esse reiectum, tamen meam supplicem vocem, a me imploratus, exaudisti.
26 Amate Iovam omnes eius pii, qui Iova et fideles tuetur, et superbe agentes cumulate
remuneratur.
27 Este fortes, et animis constantes, quicunque Iovam suspicitis.

XXXII. 1 *Davidis institutio.*
Beatus cui remissum delictum, cuius obductum est peccatum.
2 Beatus homo cui non imputat Iova culpam, et cuius in animo dolus non est.
3 Equidem cum tacitus totos dies ingemiscerem, sublabebantur membra mea:
4 cumque me dies noctesque manus tua premeret, vertebatur succus meus in aestiva
cremia. Sela.
5 Ergo meum tibi peccatum declaravi, meam culpam non te celavi, meum delictum Iovae
confitendum esse duxi, et tu mei peccati culpae ignovisti. Sela.
6 Hanc ob rem te pii omnes tempestive precabuntur: itaque quantumvis redundent
fluctus, eos non attingent.
7 Tu mihi latebra es, qui me in rebus adversis tueris, et liberationis ovatione
circumfundis. Sela.
8 Erudiam vos, et qua via vobis sit eundum ostendam, vobis oculo meo consulens.
9 Nolite similes esse equis aut mulis, ratione carentibus, quorum maxillae frenis sunt et
lupatis coercendae, ne quem invadant.
10 Multis doloribus afficientur impii: qui vero Iovae confidunt, ii benignitate
circumfundentur.
11 Gaudete in Iova, et exultate iusti: ovate omnes probae mentis homines.

XXXIII. *G. Davidis cantio. H.*
1 Ovate iusti in Iova, probos decet laudatio.
2 Celebrate Iovam cithara: hunc nablo cantate decem chordarum.
3 Hunc canite novo carmine, scite cum laeto sonitu fidibus ludentes.
4 Nam Iovae et dicta recta, et facta omnia vera sunt.
5 Amat iustitiam atque ius: Iovae benignitate plenus est orbis terrarum.
6 Ad Iovae dictum facti sunt coeli, et ad eiusdem oris spiritum omnes eorum copiae.
7 Is maris aquas quasi in cumulum acervavit, undis in cellas conditis.
8 Ergo Iovam metuant omnes terrae, hunc omnes reformident habitatores orbis.
9 Nam quod ipse dicit, id fit: quod iubet, existit.
10 Iova gentium consilia dissolvit, populorum conatus reddit irritos.
11 Iovae consilium in sempiternum: Iovae mentis cogitata in alias atque alias durant
aetates.
12 Felix est natio cuius Iova Deus est: populus quem ille sibi possidendum delegit.
13 De coelis despectans Iova, cernit omne genus hominum.
14 Ex habitationis suae domicilio contemplatur omnes orbis terrarum incolas,
15 quorum et corda finxit, et omnia facta perspicit.
16 Non rex copiarum multitudine servatur, non miles virium praestantia liberatur.
17 Fallax est equus ad defensionem, neque sui magnitudine roboris eripit ex periculo.
18 Enimvero intentum habet oculum Iova in sui metuentes, in eos qui suspiciunt eius
clementiam:

19 ut eorum animas a morte liberet, eosque in fame conservet.
20 Anima nobis in Iovam spectat, adiutorem, et propugnatorem nostrum:
21 in quo mente gaudemus, cuius sacro nomine confidimus.
22 Utere tua erga nos Iova clementia, uti nos te suspicimus.

XXXIIII. 1 *Davidis, cum gestum suum apud Abimelechum immutasset, atque ita ab eo eiectus discessisset.*
Agam Iovae gratias omni tempore, eius laudes semper habens in ore.
2 De Iova me iactabo, quo audito laetabuntur inopes.
3 Magnificate Iovam una mecum, eiusque nomen pariter extollamus.
4 Iovam oravi, qui exoratus ex omnibus me liberavit terroribus.
5 Hunc qui intuebuntur renidebunt, nihil vultu erubescentes.
6 Hunc inopem Iova invocantem exaudivit, et ex omnibus vindicavit angustiis.
7 Circummunit Iovae genius eius metuentes atque defendit.
8 Gustate, et videte quam bonus sit Iova, quamque felix sit homo qui ei confidit.
9 Reveremini Iovam vos eius sancti, nam eum reverentibus nihil deest.
10 Etiam iuvenes leones penuria et fame laborant: at Iovae studiosi nullo bono carent.
11 Adeste nati, audite me, dum vos Iovae metum doceo.
12 Si quis es homo vitae cupidus, aevi amans ut potiare bonis:
13 contine linguam tuam a malitia, et labia a loquendo fraudulenter.
14 Abstine a malo, et fac bene: stude paci, eamque sequere.
15 Habet Iova intentos oculos in iustos: et aures ad eorum implorationem.
16 Habet Iova intentam in maleficos faciem, ut eorum memoriam ex terris extirpet.
17 Illos invocantes exaudit Iova, et ex omnibus eripit angustiis.
18 Adest Iova mente fractis, et animo afflictos conservat.
19 Quamvis multa sint iustorum mala, ex omnibus eos Iova liberat,
20 eorum membra omnia sic servans, ut eorum nullum frangatur.
21 Perimet improbitas impios, et evertentur iustorum inimici.
22 Asseret suorum animam Iova, nec quisquam evertetur eorum qui habent in eo fiduciam.

XXXV. 1 *Davidis.*
Contende Iova cum iis qui contendunt mecum: pugna cum meis oppugnatoribus
2 Cape clypeum scutumque, et mihi surge in auxilium.
3 Hastam expedi, et infestus occurre meis infestis, pronuncians mihi esse te meam salutem.
4 Turpiter frustrentur, qui meae neci student: foede retrocedant, qui mihi malum cogitant.
5 Similes sunt aceri per auras, agitante Iovae genio.
6 Sit eorum via tenebricosa, atque lubrica, persequente Iovae genio.
7 Nam contra me sine causa suum perniciosum rete abdunt: sine causa foveam in meum faciunt periculum.
8 Accidat ei nec opinanti pernicies: capiat eum rete, quod ipse occuluit, eo delapsum ad exitium.
9 Tum meus animus in Iova exultabit, Iovae defensione laetus.
10 Omnia mea membra sic dicent: O Iova quis tibi par est? qui inopes a potentioribus, inopes et pauperes ab ipsorum tuere depraedatoribus.

11 Surgunt testes iniurii, quae ignoro, eorum me postulantes.
12 Mihi malum pro bono reddunt, ut me vita orbent.
13 Atqui mihi, aegrotantibus eis, vestis erat cento: afflictabam meipsum ieiunio, preces in sinu meo iterans.
14 Perinde ac si meus necessarius, aut frater esset, sic me gerebam: tanquam in materno funere pullatus, atque deiectus.
15 At illi in meo casu gaudent, et coeunt: coeunt in me nec opinantem mutili, sine intermissione proscindentes,
16 et impurorum heluonum ritu dentibus in me stridentes.
17 O Domine ecquando haec aspicies? retrahe hanc animam ab eorum saevitia, a leonibus hanc unicam.
18 Celebrabo te ingenti in conventu, te in magna hominum frequentia laudabo.
19 Effice ne de me gaudeant, qui mihi falso sunt hostes: ne oculis significent, qui me immerito odere.
20 Qui quidem tantum abest ut amice loquantur, ut in hominum quietissimos malitiosa verba excogitent:
21 et diducto contra me ore ita dictitent, Oho oho, videmus oculis nostris.
22 Vides Iova, ne conniveto Domine, noli a me abesse.
23 Excitare et expergiscere ad iudicium meum, mi Deus et Domine, ad causam meam.
24 Iudica me pro tua iustitia, Iova mi Deus, et effice ne de me laetentur:
25 ne sic cum animis suis cogitent, se voti compotes esse, iactantes me a se devoratum.
26 Pudeat ignominiose eos, qui meo malo gaudent: pudore et turpitudine circumfundantur, qui contra me insolescunt.
27 Ovent et gaudeant innocentiae meae cupidi, semper dictitantes magnificandum esse Iovam, cui sui cultoris salus placeat.
28 Et mea lingua tuam iusticiam, tuas meditabitur assidue laudes.

XXXVI. 1 *Praecinendum cultoris Iovae Davidis.*
2 Impii perversitas mihi penitus in mente loquitur, eum nullam ob oculos habere propositam religionem.
3 Adeo ipse sibi blanditur et placet, ut eius vitia reperiantur odiosa.
4 Eius oris verba improba sunt, et fraudulenta: a recta vel sententia, vel actione abstinet.
5 Improba in lecto suo excogitat, viam insistit non bonam, a malo non abhorret.
6 O Iova, tua coelestis est benignitas, aetherea fides:
7 iustitia proceris montibus altior, iudicia Oceano profundiora: homines tu, bestiasque conservas Iova.
8 Tam excellenti praeditus es clementia Deus, ut hominum genus in alarum tuarum umbra fiduciam habeat,
9 tuae domus ubertate circumfluat, eos te tuarum flumine deliciarum perfundente.
10 Nam te penes est vitae fons, et in lumine tuo lumen videmus.
11 Extende tuam clementiam in eos qui te norunt, iusticiam in probae mentis homines.
12 Ne me superborum pes aggrediatur, ne manus vexet impiorum.
13 Eo delabantur malefici, sic agitati ut surgere non possint.

XXXVII. 1 *Davidis.*
Noli propter malos te torquere, noli maleficis invidere.

2 Nam gramine citius succidentur, et ut herbae viriditas marcescent.
3 Confide Iovae, et bene fac: incoles terram, et firme pasceris.
4 Fruere Iova, et tibi animi tui postulata concedet.
5 Reclina in Iovam tuas rationes, eique confide, et ipse rem transiget.
6 Tuamque innocentiam luce evidentiorem, tuum ius meridie clarius efficiet.
7 Expecta Iovam tacitus, ne te crucia propter fortunatos homines flagitiosos.
8 Desiste ab ira, desine succensere, ne te crucia, ut quidem male facias.
9 Nam mali excindentur: qui vero in Iova spem habent, terram possidebunt.
10 Paulo post iam nusquam erit impius, eiusque locum si contemplere, nusquam extabit.
11 At inopes terram possidebunt, multa fruentes pace.
12 Conantur impii contra bonos, et dentibus in eos frendent.
13 Ridet eos dominus, quod videt eorum adventare diem.
14 Gladios stringunt impii, arcusque suos intendunt, ut inopes et pauperes deiiciant, ut recte viventes trucident.
15 Eorum et gladius ipsorum cor penetrabit, et arcus frangentur.
16 Multo praestat tenuis res iustorum, quam impiorum opulentia.
17 Nam impiorum lacerti franguntur: at bonos Iova sustinet.
18 Habet Iova eam vitae hominum integrorum rationem, ut eorum sit haereditas in perpetuum duratura.
19 Non pudebit eos calamitoso tempore, et vigente fame saturabuntur.
20 Cum interim impii peribunt, Iovae inimici conficientur, ut opimi in fumum evanescentes agni.
21 Mutuatur impius, neque reddit: bonus vero miseratur, atque largitur.
22 Nam quibus ille bene vult, terram possidebunt: quibus autem male vult, excindentur.
23 Eiusmodi hominis gressus a Iova firmantur, eiusque vitae via illi accepta est.
24 Si cadit, non pessum it, Iova eum manu sustinente.
25 Puer fui, et iam senui, neque tamen vidi iustum derelictum, aut eius progeniem desiderare victum.
26 Quotidie miseretur, et commodat, et eius progenies abundat.
27 Recede a malo, et benefac, et durabis in perpetuum.
28 Nam Iova iuris amans, pios suos non deserit, quin in aeternum custodiantur.
29 G. Improbi vero dabunt poenas, H. et semen impiorum excindetur.
30 Iusti terram possidebunt, et in ea durabunt in perpetuum.
31 Iustus ore sapienter disserit, linguaque ius loquitur.
32 Et Dei legem in mente habens, gressibus non titubat.
33 Speculatur impius iustum, eumque studet necare.
34 Sed Iova eum non deseret in illius manu: neque damnabit, cum iudicabitur.
35 Spera Iovam, eiusque viam tene, et evehet te in terrae possessionem, impiosque videbis everti.
36 Vidi ferocem impium, et frondentis more lauri virentem:
37 qui deinde praeteritus, iam non extabat, quaerentique mihi non inveniebatur.
38 Observa homines integros, considera probos, et invenies huiusmodi hominum exitum esse felicem:
39 cum improbi simul pereant, sitque impiorum exitus exitium.
40 Iustorum salus a Iova est, qui est eorum firmamentum temporibus adversis.

41 Quia Iova eis succurrit, eosque liberat: liberat ab impiis, atque conservat, quandoquidem habent in eo fiduciam.

XXXVIII. 1 *Cantio Davidis admonitoria, G. de Sabbatho, H.*
2 Iova noli in me saevius animadvertere: noli me iracunde punire.
3 Nam mihi tua tela infixa sunt, tua me urget manus.
4 Nihil est sanum in meo corpore, tanta est tua saevitia: nihil est in meis membris illaesum, propter meum peccatum.
5 Nam mea delicta meum supergressa caput, me quasi grave quoddam onus opprimunt.
6 Putridae foetent vomicae meae, propter meam insaniam.
7 Affligor et deprimor vehementer, assidue pullatus incedens.
8 Nam ilia mea plena sunt foeditate, nec quicquam est sanum in meo corpore.
9 Vehementer enervor et atteror, prae animi aegrimonia congemiscens.
10 Domine, quid omnino cupiam, tibi perspicuum est: quid suspirem, non te praeterit.
11 Cor mihi palpitat, vires me deficiunt, adeo ut ne oculos quidem, nedum lumen habeam.
12 Amici necessariique mei a meo vulnere absistunt: mei propinqui procul astant.
13 Qui vero meae neci student, insidias tendunt, qui mihi malum cupiunt, scelerate deliberant, et fraudes assidue comminiscuntur.
14 At ego non magis quam surdus audio, neque magis hisco quam mutus.
15 Sumque perinde ac si quis non audiat, nec in ore confutationem habeat.
16 Etenim in te Iova spem habeo, cui tu responde Domine mi Deus.
17 Sum sane sollicitus, ne sim eis voluptati, ne mihi, si pede vacillavero, insultent.
18 Nam equidem sum in casum pronus, meo dolore mihi semper obversante.
19 Ergo meum vitium ostendo, anxius ob meum peccatum.
20 At hostes mei vivunt, valentque et frequentes sunt qui me iniuria oderunt.
21 Malumque pro bono rependunt, mihi adversantes qui sequar honestum.
22 Ne desere me Iova mi Deus, ne mihi abesto.
23 Propera mihi succurrere, o Domine mea salus.

XXXIX. 1 *Praecinenda Ieduthuni cantio Davidis.*
2 Statueram eam vitae viam tenere, ut ne quid lingua peccarem: meumque os frenare, quamdiu mihi obversarentur impii.
3 Sed cum tacitus obdurarem, tantum aberat ut aliquid proficerem, ut etiam meus dolor crudesceret:
4 Adeoque mihi cor in pectore incalesceret, cogitationis igne ardescens, ut ita lingua loquar:
5 Ostende mihi Iova meum exitum, et quis aetatis meae sit modus, ut sciam quam sim longaevus.
6 En tu mihi aetatem concessisti dodrantalem, meumque aevum fere nihil est apud te: adeo omnino nihili est omnis hominis natura. Sela.
7 Adeo imaginariam vitam ducit homo: adeo temere tumultuatur, congerens, quae quis sit percepturus ignorat.
8 Et nunc quid sperem Domine: nisi ut in te sitam spem habeam?
9 Ex omnibus meis delictis libera me: ne me insanorum ludibriis expone.
10 Obmutesco, ne mutiens quidem, te negotium transigente.

11 Aufer a me tuum vulnus: tuae manus saevitia deficio.
12 Qui cum de homine vitii sumis supplicium, eius elegantiam tineae more sideras, adeo
nihili est omnis homo. Sela.
13 Exaudi meas preces Iova, meam attendens querelam: ad meas lachrymas ne
obsurdesce, qui peregrinus apud te sum, advena, sicut omnes mei maiores.
14 Relaxa me, ut me colligam, priusquam eo devenio, ut nullus sim.

XL. 1 *Praecinenda Davidis cantio.*
2 Iovam speravi, et mihi flexus est, meamque exaudivit implorationem.
3 Et me ex horrida voragine, ex coenoso luto extraxit, meosque pedes in rupem evexit,
meos gressus confirmans.
4 Et ori meo carmen novum suppeditavit, Dei nostri laudationem.
5 Quo viso multi Iovam verebuntur, ei confidentes.
6 Beatus homo qui collocat in Iova suam fiduciam, nec in arrogantes falsique sectatores
intuetur.
7 Tam multa facis tu Iova mi Deus, ut tua erga nos miracula atque cogitata sint
inaestimabilia: adeo ut mihi de te praedicare et loqui volenti, occurrant innumera.
8 Sacrificium et fertum tibi non placet: aurem mihi vellis, te victimas et piacula non
postulare.
9 Ergo ita dico, En adsum, mecum scriptum libri volumen ferens.
10 Mihi tuam mi Deus voluntatem exequi placet, tuam legem in imis habenti visceribus.
11 Iustitiam frequenti conventu praedico, labra mea nequaquam continens, ut tute scis
Iova.
12 Iustitiam tuam in meo pectore non tego, tuam fidelitatem et defensionem praedico, de
tua clementia et fide frequentem coetum minime celans.
13 Tu Iova noli me a tua excludere misericordia, quin me tua clementia et fide semper
tueare.
14 Nam me innumerabilia mala circumcludunt: tot me mea vitia opprimunt, ut ea
perspicere nequeam: adeoque mei capitis capillos superant, ut animum despondeam.
15 Placeat tibi Iova, liberare me: Iova ad mihi succurrendum festina.
16 Frustrentur foede qui mihi animam extinguere conantur: retrocedant turpiter qui mihi
malum cupiunt.
17 Evertantur ob suam impudentiam, qui de me sic dicunt, Oho, oho.
18 Exultent et laetentur in te omnes tui studiosi, iugiterque Iovam extollendum esse
dictitent amatores tuae tutelae.
19 Me vero inopem et pauperem Iova curato: tu qui defensor liberatorque meus es, mi
Deus, ne cunctare.

XLI. 1 *Praecinenda cantio Davidis.*
2 Beatus qui egentium habet rationem: eum adverso tempore liberabit Iova.
3 Atque ita tuebitur et conservabit, ut sit in terris felix: nec eum libidini dedet
inimicorum.
4 Iova eum in lecto aegrotantem recreabit, laborantis cubile prorsus evertens.
5 Equidem ita dixi: Iova miserere mei, medere animo meo, qui in te peccavi.
6 Inimici mei mihi maledicunt, quando morietur, eiusque nomen peribit?
7 Quod si quis me visit, falsum loquitur, animo improbum aliquid apud se conflans, quod

foras egressus eloquatur.
8 In me susurrant universi adversarii mei, mihi malum cogitantes.
9 Nempe me mala re urgeri, neque iam postquam decubui, surrecturum.
10 Quin etiam meus amicus, cui fidebam, meus convictor calce me petit.
11 Tu vero Iova miserere mei, et me sic attolle ut illis merita rependam.
12 Hinc intelligo te mihi favere, quod de me non triumphat inimicus meus.
13 Quodque me tueris incolumem, et in tuo conspectu constituis in perpetuum.
14 Collaudetur Iova Deus Israelitarum, per omnem aeternitatem. Etiam atque etiam.

PSALMORUM LIBER SECUNDUS.

XLII. 1 *Praecinenda institutio Coranidarum.*
2 Quemadmodum cerva mugit ad aquae rivos, sic meus animus mugit ad te, Deus.
3 Sitit meus animus Deum, ad immortalem Deum quando veniam, et in Dei praesentia comparebo?
4 Lachrymis pascor dies atque noctes, dum hoc mihi quotidie obiicitur: Ubi est Deus tuus?
5 Equidem haec (animi mei affectionem apud me effundens) recordor, solitum me illis numerose praeire ad fanum, cum laeta voce laudumque celebratione, turba festum agente.
6 Quid te abiicis anime mi, et in me turbaris?
7 Spem habe in Deo, quem adhuc celebrabo, praesentem consecutus ab eo salutem.
8 O mi Deus, in me se deiicit meus animus, ideoque tui memini in regione Iordanensi, et Hermone monte exiguo.
9 Unda undam invitat, sonantibus tuis torrentibus: omnes me tuae impressiones et fluctus obruunt.
10 Solebat quidem Iova ea interdiu conferre beneficia, ut noctu carminibus et precationibus ad Deum vitae meae uterer.
11 Nunc mihi sic ad Deum rupem meam conquerendum est:
12 Cur ita mei immemor es? cur pullatus incedo, hoste saeviente?
13 adversariis membra mihi proscindentibus, dum conviciantur, ita quotidie dictitantes: Ubi est Deus tuus?
14 Quid te deiicis anime mi? aut quid in me turbaris?
15 Spem habe in Deo, quem adhuc celebraturus sum, meum praesentem servatorem atque Deum.

XLIII. 1 Patrocinare mihi Deus, et meam causam age: ab inhumana natione, ab homine malitioso et iniquo libera me.
2 Nam tu qui meae potentiae Deus es, cur me repellis? cur pullatus ingredior, hoste saeviente?
3 Mitte lucem fidemque tuam, quae mihi duces sint, meque in sacrum tuum montem, et in tuas perducant sedes.
4 Et accedam ad aram divinam, ad Deum meae voluptatis delicias, teque cithara celebrabo, Deus mi Deus.
5 Quid te deiicis anime mi? aut quid in me turbaris?
6 Spem habe in Deo, quem adhuc celebraturus sum, meum praesentem Servatorem atque Deum.

XLIIII. 1 *Praecinenda Coranidarum institutio.*
2 Deus auditione, et maiorum nostrorum narratione, accepimus, quale tu opus olim eorum temporibus patraveris.
3 Qui eos (expulsis tua manu gentibus) conseveris, caeterisque nationibus malo affectis immiseris.
4 Neque enim suis armis quaesivere terram, neque sui eis lacerti peperere victoriam: sed tua dextera, tuum brachium, tui vultus lumen, quod eis favebas.
5 Tu rex noster es, o Deus affice victoria Iacobeos.
6 Per te nostros profligamus hostes: per tuum nomen pessundamus adversarios.
7 Non enim arcubus nostris confidimus, non nos nostri defendunt enses.
8 Sed tu nos ab hostibus defendis, osoresque nostros foede frustraris.
9 In Deo nos semper iactamus, tuum nomen celebrantes perpetuo. Sela.
10 Atqui tu nos repulsos afficis ignominia, neque cum nostris copiis egrederis.
11 Nos hosti vertere terga cogis, ab osoribus nostris diripiendos.
12 Nos pro comedendis ovibus habes, per caeteras gentes dissipatos.
13 Tuos sine ulla utilitate vendidisti, nihil ex eorum precio auctus.
14 Nos vicinorum probris, finitimorum derisioni et ludibriis exposuisti.
15 Nos gentium dicteriis, nationum sannis obiecisti.
16 Assidue nobis obversatur nostra turpitudo, vultusque pudore velamur,
17 propter maledicorum, conviciatorumque voces, propter hostes et infestos.
18 Haec omnia patientes, non tamen tui sumus immemores, foedusve tuum violamus.
19 Non mentibus retrocedimus, aut gressibus de viis tuis deflectimus.
20 Cum tamen nos in feralem detrusos locum, tetra nocte operias.
21 Quod si Dei nostri nomen obliti, manus ad alienum Deum porrigeremus:
22 esset quod id Deus animadverteret, qui mentis arcana novit.
23 Sed tua causa quotidie interficimur, et pro ovibus lanienae ducimur.
24 Excitare, cur dormis Domine? expergiscere, ne nos perpetuo reiicias.
25 Cur tuum vultum abdis? immemor nostrae miseriae et calamitatis:
26 qui humi pessundati, pectoribus adhaeremus terrae?
27 Agedum succurre nobis, et nos vindica pro tua clementia.

XLV. 1 *Praecinenda ad rosas. Coranidarum institutio. Carmen amatorium.*
2 Dictat meus animus elegantem orationem: eloquor ego meum opus regi, lingua utens pro stylo velocis notarii.
3 Tu generis hominum formosissimus, labra habes gratia perfusa: ergo tibi favet Deus in perpetuum.
4 Accinge femori gladium tuum, heros, tuum decus et gravitatem.
5 Atque ista gravitate feliciter invehere, fidei et tam mitis iustitiae ergo: et tua tibi dextera res ostendet stupendas,
6 tela ista acuta (populis tibi succumbentibus) in hostium regis corda dirigendo.
7 Solium tuum, o dive, in omnem permanet aeternitatem: sceptrum aequitatis, sceptrum regni tui est.
8 Iustitiam amas perosus impietatem: propterea Deus, tuus Deus, oleo te laetifico potius inunxit, quam tuos socios.
9 Nihil nisi myrrha et stacte et casia sunt vestimenta tua, intra eburnea palatia, unde voluptatem percipis.

10 Regiae puellae tibi sunt in deliciis: astat tibi ad dexteram auro ophirio exornata sponsa.
11 Audi puella, vide ut aurem praebeas, et tuos populares patriamque obliviscare domum.
12 Et tuae pulchritudinis amore capietur rex: is enim tuus est Dominus tibi colendus.
13 Tum puella Tyrus, ditissimi quique tibi cum muneribus coram supplicabunt.
14 Omnis puellae regiae splendor est intimus, veste auro segmentata.
15 Ea ducitur ad te o rex, in vestibus phrygiis, eamque sequentes virgines eius amicae, tibi adducuntur.
16 Adducuntur cum gaudiis et exultatione in regiam intrantes.
17 Parentibus tuis succedent tui liberi, quos toto orbe principes constituas.
18 Ego vero tui nominis memoriam omni posteritatis aetati mandabo, ita ut te populi in omnem seculorum perpetuitatem concelebrent.

XLVI. 1 *Praecinendum Coranidarum ad Alamoth carmen.*
2 Deus nobis fiducia et robur est, praesidium rebus in adversis praesentissimum.
3 Itaque non metuemus, licet terra moveatur, et montes in medium mare transferantur:
4 tantaque tempestate turbentur maris undae, ut ad eius aestus montes contremiscant. Sela.
5 Divinam quidem urbem, sacrum supremi domicilium, suus delectabit amnis fluvii.
6 Quae (cum in ea versetur Deus) non commovebitur, Deo ei mature succurrente.
7 Tumultuentur gentes, regna concitentur, illo vocem emittente tellus ipsa colliquescet.
8 Iova nobis armipotens adest, nobis munimento est Deus Iacobeorum. Sela.
9 Adeste, contemplamini Iovae opera, quam stupenda edat in terris.
10 Bella placat ad ultimas usque terras: perfringit arcus, detruncat hastas, currus igni cremat.
11 Desistite, et me Deum agnoscite, extollendum in gentibus, extollendum in terris.
12 Iova nobis armipotens adest, nobis munimento est Deus Iacobeorum. Sela.

XLVII. 1 *Praecinenda Coranidarum cantio.*
2 Omnes nationes applaudite, acclamantes ovante voce Deo.
3 Nam Iova supremus terribilis est, rex magnus in toto orbe terrarum.
4 Qui nobis caeteras nationes, qui populos nostris subiicit pedibus.
5 Qui nobis possessionem deligit pro Iacobeorum, quos amat, dignitate. Sela.
6 Ascendit cum iubilatione Deus, Iova cum tubae sonitu.
7 Cantate Deum cantate, cantate regem nostrum cantate.
8 Nam rex est totius orbis Deus, cantate scite.
9 Regnat Deus in gentes, Deus in suo sacro sedens solio.
10 Populorum primarii colliguntur, hoc est populus Dei Abrahami, in cuius tam sublimis Dei tutela est orbis terrarum.

XLVIII. 1 *Coranidarum cantionis carmen. G. secunda sabbathi. H.*
2 Magnus est Iova, et praecipue laudandus in urbe Dei nostri, sacro eius monte.
3 Amoenus tractus, totius orbis terrarum voluptas mons Sion est, septentrionalis, regis urbs magni,
4 cuius in arcibus notus est propugnatione Deus.
5 Nam cum reges congregati simul processissent, simulac urbem viderunt, attoniti,

perturbati, trepidi,
6 tremore correpti sunt, qualis dolor est parturientium.
7 Quemadmodum frangit Eurus naves Cilicas.
8 Qualia audivimus, talia videmus in urbe Iovae armipotentis, in urbe Dei nostri, eam Deus condit in aeternum. Sela.
9 Manemus quieti, Deus, tuam clementiam, in medio fano tuo.
10 Ut tuum nomen, Deus, sic tua laus pertingit ad ultimas terras, qui dexteram habeas iustitia plenam.
11 Gaudet mons Sion, exultant Iudaeae puellae, propter tua iudicia.
12 Circuite, et circundate Sionem: numerate turres eius.
13 Advertite animum ad eius propugnaculum, notate eius arces, ut haec narretis posteritati.
14 Nam Deus hic, Deus noster est sempiternus, perpetuo recturus nos.

XLIX. 1 *Praecinenda cantio Coranidarum.*
2 Audite hoc, nationes omnes: attendite omnes orbis incolae:
3 obscuri iuxta ac illustres, divites aeque ac pauperes.
4 Ore docta eloquar, prudenter a mente cogitata.
5 Aures intendam sententiis, pandens aenigma meum cithara.
6 Cur metuam malorum temporibus, circumstante me meorum poena calcaneorum?
7 Qui suis fidunt opibus, et in suarum abundantia divitiarum gloriantur.
8 Non rediment alius alium, non suae redemptionis precium Deo solvent:
9 tanti est cuiusque animae redemptio, ut quis aeternum duret,
10 iterumque perpetuo vivat, non passurus interitum.
11 Apparet enim, sapientes simul et stultos fatuosque mori, atque perire, aliis suas relinquentes opes.
12 Cogitant illi quidem, suas domos aeternas fore, suaque domicilia in alias atque alias aetates duratura, terras ex suis appellantes nominibus.
13 Sed homines in existimatione non permanent, similes bestiis intereuntibus.
14 Cumque hic eorum mos tam stultus sit, tamen eorum instituto posteri delectantur. Sela.
15 Illi quidem tanquam pecudes mandabuntur Orco, imperante morte, in eosque dominabuntur probi ad matutinum, et eorum species abolenda est, eisque domicilium futurus est Orcus.
16 At meam animam vindicabit ab Orco Deus, quandoquidem me asciscet. Sela.
17 Ne metue si quis dives sit, domumque multi splendoris habeat.
18 Nam in morte non auferet quicquam, non eum sua sequetur deorsum gloria.
19 Placent illi quidem sibi in hac vita, et si tu tibi indulgeas, laudant.
20 Sed devenient ad maiorum suorum genus, ad extremum non visuri lumen.
21 Homo qui in precio est neque sapit, similis est bestiis quae intereunt.

L. 1 *Asaphi cantio.*
Deus deorum Iova dicit se convocaturum orbem terrarum, ab ortu solis ad occasum.
2 Ex Sione, cuius perfecta pulchritudo est, Deus existet:
3 veniet Deus noster sine dubio, igne ante eum vorante, vehementi circundatus tempestate.

4 Vocabit superne coelos atque terras, ad suos iudicandos.
5 Convocentur ad me pii mei, cum quibus mihi foedus ictum est per sacrificium.
6 Tum coelis ipsis iustitiam eius ostendentibus, qui Deus iudex sit, Sela.
7 Audi mi populus, inquiet, dum loquor, Israelita, dum te commonefacio, Deus Deus ego tuus.
8 Non equidem te propter sacrificia tua, propter tuas solidas hostias apud me perpetuandas reprehendam.
9 Non tauros ex tua domo, non hircos ex tuis accipiam caulis.
10 Nam mea sunt omnia sylvestria animalia, omnes in mille montibus bestiae.
11 Omnes ego montanas volucres recognosco, terrestresque beluae me penes sunt.
12 Quod si esurirem, non id tibi dicerem, meus cum sit mundus, et quicquid eo continetur.
13 Scilicet taurina carne vescar, aut hircinum bibam sanguinem?
14 Sacrifica Deo gratiis agendis, et solve supremo tua vota.
15 Tum me rerum adversarum tempore invocato: et ego te ita defendam, ut tu me honores.
16 Impium autem sic alloquetur Deus: Quorsum tu mea narras instituta, meumque foedus in ore habes?
17 cum disciplinam exosus, mea dicta post tergum reiicias.
18 Si furem conspexisti, curris cum eo: et cum adulteris habes commercium.
19 Os tuum laxas ad malum, lingua fraudes conflans.
20 Sedens contra tuum fratrem loqueris, de eo detrahens cum quo tibi communis mater est.
21 Et ista me dissimulante faciens, arbitraris me tui fore similem: ego vero coarguam, et praesentem convincam.
22 Quaeso hoc advertite, qui Dei estis immemores, ne corripiam indefensos.
23 Qui gratiis agendis sacrificat, is me honorat: hac via qui graditur, huic ego divinam salutem praestabo.

LI. 1 *Praecinenda cantio Davidis, cum eum convenisset Nathan vates, congressum cum Bethsaba.*
2 Miserere mei Deus pro tua clementia, pro tua singulari misericordia dele meam noxam.
3 Ablue me multum a meo vitio, a meo peccato purga me.
4 Nam meam noxam agnosco, meumque peccatum mihi semper obversatur.
5 In te, in solum te peccavi, teque offendi, ut dictorum tuorum aequitas, iudiciique puritas appareat.
6 Equidem in vitio genitus sum, et in peccato me concepit mea mater.
7 Equidem tu veritatem in praecordiis amas, et occulte sapientiam mihi demonstras.
8 Expia me hyssopo, et purus ero: ablue me, et ero nive candidior.
9 Nuncia mihi laetitiam atque voluptatem: exultent contusa a te membra.
10 Abde tuam faciem a meis peccatis, et omnia mea vitia dele.
11 Cor mundum crea mihi Deus, compositumque spiritum in meo pectore renova.
11 Ne me a tuo conspectu reiice: neve mihi tuum sanctum spiritum aufer.
13 Redde mihi tuae laetitiam defensionis, et me principali spiritu sustenta.
14 Docebo peccantes tuas vias, ita ut nocentes tibi reconcilientur.
15 Vindica me a sanguine Deus, Deus meae salutis: mea lingua tuam modulabitur

iustitiam.
16 Domine mea labia aperi, et os meum tuam laudem praedicabit.
17 Non enim sacrificio delectaris, ut id exhibeam: non tibi acceptae sunt victimae.
18 Divina sacrificia sunt fractus spiritus: fractam afflictamque mentem tu Deus non despicis.
19 Benefac pro tuo favore Sioni: construe muros Hierosolymae.
20 Tunc iustis sacrificiis, victimis, et solida re divina delectabere: tunc immolabuntur ad aram tuam tauri.

LII. 1 *Praecinenda Davidis institutio, cum Doegus Idumaeus Saulo nunciatum iuisset, Davidem venisse ad Abimelechum.*
2 Quid gloriaris in prave factis, o ferox? cum quotidiana sit Dei clementia.
3 Tu scelera lingua meditaris, quasi acuta novacula fraudes faciens.
4 Malum quam bonum mavis, falsa quam iusta loqui. Sela.
5 Amas omnem orationem temerariam, o fraudulenta lingua.
6 Etiam te Deus eruet ad extremum: sublatumque et avulsum ex tabernaculo, extirpabit ex terra vivorum. Sela.
7 Quo viso territi iusti, te deridebunt: En hominem qui vires suas in Deo non collocabat: sed suarum divitiarum copia fretus, sua nitebatur pravitate.
8 At ego quasi virens olea in Dei domo versabor, divina fretus clementia in omnem aetatem.
9 Teque Deus huius rei autorem celebrabo perpetuo, in tuo tam miti apud pios tuos nomine spem habens.

LIII. 1 *Praecinendum ad Mahalat Davidis institutio.*
2 Cogitant insani cum suis animis, non esse Deum: adeo nefariis sceleribus corrupti sunt, nullus ut recte faciat.
3 Deus de coelo despicit in hominum genus, ut videat an sit aliquis sanus et religiosus.
4 Omnes pari improbitate deflectunt, adeo ut non sit qui recte faciat, ne unus quidem.
5 An ignorant malefici, meorum consumptores, se Dei victu vesci, quem non invocant?
6 Aliquando percellentur incredibili pavore, tum cum Deus membra tuorum discerpet oppugnatorum, te eos foedante, quos Deus abhorreat.
7 Utinam detur ex Sione salus Israelitis, ut revocante Deo ex captivitate suos, exultent Iacobei, gaudeant Israelitae.

LIIII. 1 *Praecinenda fidibus Davidis institutio, cum Ziphaei Saulo indicatum iuissent Davidem apud ipsos latitare.*
2 Deus per tuum nomen serva me, per tuas vires patrocinare mihi.
3 Deus audi meas preces, attende verbis oris mei.
4 Nam hostes consurgunt in me, et crudeles meae neci student, Deum sibi non proponentes. Sela.
5 En Deus mihi succurrit: Deus is est, qui mihi vitam sustentet, malumque rependat meis adversariis.
6 Eos tu Iova pro tua fide disperde: ego ultro sacrificabo, tuum tam mite nomen Iova celebrans:

7 qui me ex omnibus rebus adversis ita eripueris, ut ipse meis oculis poenas hostium viderim meorum.

LV. 1 *Praecinenda fidibus Davidis institutio.*
2 Ausculta Deus meas preces, et ne te meae subtrahe supplicationi.
3 Intende mihi, et concede quod oratione querula ac turbulenta peto,
4 propter hostium voces, propter impiorum importunitatem, qui comminiscuntur in me crimen, mihi acerbe adversantes.
5 Cor mihi in pectore trepidat, lethi me terrores incessunt:
6 timor et pavor invadit, et horror tantus obruit, ut ita loquar: Utinam alas haberem ut columba, quibus in tutum evolarem.
7 Equidem procul discederem, desertis mansurus in locis. Sela.
8 Et ocyus evaderem quam rapidus est ventus, aut turbo.
9 Perde Domine, divelle linguas eorum: nam video crudelitatem et discordiam in urbe,
10 quae eam per muros dies noctesque circundant: versantur in ea crimina, et facinora:
11 versatur inhumanitas, nec abscedit ex eius vicis dolus atque perfidia.
12 Non enim hostis in me bacchatur, ut id feram: non adversarius meus in me invehitur, ut eum devitem.
13 Sed tu mei ordinis homo, praecipuus, familiarisque meus,
14 qui arcana suaviter inter nos communicabamus, qui in fanum coniuncte ventitabamus.
15 Tollat istos mors: vivi descendant in Tartara: quandoquidem inter eos in eadem versantur habitatione scelera.
16 Ego Deum invocabo, meque Iova conservabit.
17 Et vespere et mane et meridie quiritans orabo, et meam vocem exaudiet,
18 vitamque meam incolumem tutabitur a meis oppugnatoribus: tam multi mihi adsunt.
19 Exaudiet Deus, eosque opprimet, is qui manet aeternus, Sela, Quorum nulla fiat mutatio, quique Deum nihil revereantur.
20 llle quidem iis manus affert, qui erant cum eo pacati, sua pacta violans.
21 Et in ore dulciora butyro habens, in corde bellum gerit, verbis utitur oleo mollioribus, cum sint spicula.
22 Reiice tuum onus in Iovam, qui te fovebit: nunquam permissurus iustum labefactari.
23 Tu vero Deus illos in foveam interitus detrudes: homines sanguinarii et fraudulenti ad aetatis suae medium non provehentur, cum ego interea tibi confidam.

LVI. 1 *Praecinendum de columba procul muta Davidis segmentum, cum eum Palaestini Gethae cepissent.*
2 Miserere mei Deus: nam me opprimunt homines, assidue acriter impugnantes.
3 Opprimunt adversarii mei assidue, nam multi me summa ope oppugnant.
4 Equidem meis periculosis temporibus tibi confido.
5 In Deo promissa laudabo: in Deo fiduciam habens non metuam ne quid mihi faciant mortales.
6 Assidue meis rationibus negotium exhibent, suas omnes cogitationes in meam perniciem conferentes.
7 Coeunt, delitescunt, meos calces observant, scilicet meae necis avidi.
8 Deiice, Deus, homines iratus, qui habent in nequitia perfugium.
9 Tu qui meas vagationes numeratas habes, refer meas lachrymas in tuum sacculum, hoc

est in tuum commentarium.
10 Ita retro agentur hostes mei, invocante me, qui sciam a me stare Deum.
11 In Deo promissa laudabo: in Iova promissa laudabo.
12 In Deo fiduciam habens, non metuam ne quid mihi faciant mortales.
13 Tibi Deus vota debeo, tibi solvam gratiarum actiones,
14 qui meam vitam a morte, hoc est meos pedes a casu sic defenderis, ut ingrediar coram
Deo in luce vivorum.

LVII. 1 *Praecinendum, Ne corrumpe: Davidis segmentum, cum Saulum fugeret in*
spelunca.
2 Miserere mei Deus, miserere mei, tu in quo animi fiduciam habeo, in cuius alarum
umbra fiduciam habeo, dum transit inhumanitas.
3 Invoco Deum supremum, Deum mearum transactorem rerum:
4 qui utetur de coelo, quo me defendat ab iniuria, qua opprimor, Sela: utetur Deus sua
clementia atque fide.
5 Versatur inter leones vita mea: iaceo inter incendiarium genus hominum, quorum et
dentes spicula sunt atque sagittae, lingua gladius acutus.
6 Evehere supra coelos Deus, cuius gloria toto patet orbe terrarum.
7 Rete meis componunt gressibus, ad meae vitae ruinam: cavant ante me scrobem, in
quam mediam casuri sunt ipsi. Sela.
8 Composito sum animo Deus, composito sum animo ad canendum modulate.
9 Expergiscere mea gloria: expergiscere nablum et cithara: expergiscar primo mane.
10 Celebrabo te apud nationes, Domine, te apud populos cantabo:
11 cuius clementia ad coelos, cuius fides ad aethram usque porrigitur.
12 Evehere supra coelos Deus, cuius gloria toto patet orbe terrarum.

LVIII. 1 *Praecinendum, Ne corrumpe: Davidis segmentum.*
2 Verene certe iusta pronunciatis? ex aequo iudicatis? o genus humanum.
3 Imo et animis iniquitates agitatis in terris, et manibus iniuriam libratis.
4 Deflectunt impii iam ab utero: errant ab alvo matris falsiloqui.
5 Venenum habent quale anguis venenum est: quale surdae aspidis, quae sibi aurem
obturat, ne magi vocem audiat, divini incantamentorum periti.
6 Deus elide eorum dentes in ipsorum ore, leoninos maxillares evelle Iova.
7 Diffluant ut aqua: accidat eis, quod sagittas in irritum iaculanti:
8 quod limaci in limum abeunti: quod mulieris abortui, qui solem non vidit.
9 Ac veluti si cuius ollae spinas nondum senserint, sic illi tanquam crudi per iram
vexentur.
10 Laetabuntur boni viso supplicio, suaque vestigia in impiorum sanguine lavabunt.
11 Atque ita confitebuntur homines bonis esse fructum, Deumque esse qui terras
moderetur.

LIX. 1 *Praecinendum, Ne corrumpe: Davidis segmentum, cum misisset Saulus qui eius*
domum custodirent, eius occidendi causa.
2 Defende me a meis hostibus, mi Deus: contra meos infestos me protege.
3 Defende me a maleficis, me ab hominibus tuere sanguinariis.
4 Etenim meae vitae insidiantur, coeuntes contra me homines praevalidi, nullo meo

delicto, aut peccato, Iova.
5 Nullo meo vitio concurrunt, seque parant.
6 Tu vero age mihi obviam veni, et haec aspice, Iova Deus armipotens.
7 Deus Israelitarum, expergiscere ad vindicandas gentes omnes, nulla in quenquam perfidorum ac maleficorum usurus misericordia. Sela.
8 Qui vespere reversi strepunt ut canes, urbemque circumeunt,
9 et heu qualia ore vomunt, gladios habentes in labris, si quis audiat.
10 At tu Iova ludis eos, deridens gentes omnes.
11 Tibi vires meas acceptas fero, Deo propugnatori meo.
12 Deo erga me sua clementia usuro, Deo mihi in adversarios meos exemplum edituro.
13 Noli eos interimere, ne hoc mei populares obliviscantur: agita eos tua vi, atque deprime, o propugnator noster Domine.
14 Ob sui scelus oris, ob suorum dicta labiorum capiantur in sua superbia, propterque periuria et mendacia quae comminiscuntur. Sela.
15 Confice severe, confice, et in nihilum eos redige, ut intelligatur Deum esse inter Iacobidas dominantem ad ultimas terras. Sela.
16 Qui vespere reversi strepunt, urbemque circumeunt ut canes,
17 qui ob cibum vagantur, et nisi saturati ringuntur.
18 Ego vero tuam canam potentiam, tuamque benignitatem mature resonabo: qui mihi munimento perfugioque fueris in meis periculosis temporibus.
19 Te meam potentiam cantabo, qui Deus sis meus propugnator, Deus erga me clemens.

LX. 1 *Praecinendum ad rosam, oraculum, Davidis segmentum docendum: cum certavit cum Mesopotamianis, Syrisque Sophenes, reversusque Ioabus occidit Idumaeorum in valle salis duodecim millia.*
2 Deus qui nos aspernatus iracunde dissipasti, reconciliare nobis.
3 Tu regionem hanc impressionibus concussisti, medere eius calamitatibus: nutat enim.
4 Tuos duriter tractasti, tetrum vinum bibere nos cogens.
5 Praesta tui metuentibus signum, ad arcus effugiendos, ut evadant tui dilecti: defende nos ista dextera, mihi exoratus.
6 Promittit Deus in suo sacrario, quae laeter: dividam Sichemam, vallemque Sochotha dimetiar.
7 Meus est Galaadus, meus Manasses, et Ephraimus mei capitis firmamentum: Iudas meum est imperium:
8 Moabus meum ahenum eluacrum: ad Idumum iaciam meum calciamentum: tu mihi Palaestina adoream acclama.
9 Quis me ad urbem sistet munitam? quis perducet ad Idumaeum? cum tu nos Deus reieceris, neque cum nostris proficiscare copiis?
10 Fer nobis auxilium contra periculum: quando vana est humana tutela.
11 Per Deum fortia patrabimus, eo nostros proterente perduelles.

LXI. 1 *Praecinendum fidibus Davidis.*
2 Exaudi Deus meam querimoniam, attende meis precibus:
3 qui te ex ultimis imploro terris, cum animi aegrimonia: pervehe me in rupem me sublimiorem.
4 Nam tu mea fiducia es, validaque turris adversus hostem.

5 Manebo in tuo tabernaculo in perpetuum, tuarum fretus alarum praesidio.
6 Tu enim Deus mea vota exaudis, tu possessionem das tuum nomen reverentibus.
7 Aetatem aetati regis adiice, ut eius anni perpetuentur seculis.
8 Habitet aeternum apud Deum, sub clementiae fideique custodia.
9 Ita tuum cantabo nomen in perpetuum, meis votis quotidie solvendis.

LXII. 1 *Praecinenda Ieduthuni cantio Davidis.*
2 Sane in Deo meus animus acquiescit, a quo Deo mea salus pendet.
3 Sane is meum numen et salus est, et eiusmodi munimentum, ut nihil admodum commovear.
4 Quousque in me iniuriosi eritis universi perimere me conantes, tanquam parietem inclinantem, tanquam convulsam maceriam?
5 Sane de me de statu deiiciendo consultant: falsique studiosi ore bene, pectore male precantur. Sela.
6 Attamen in Deo acquiesce anime mi: nam in eo sita est mea spes.
7 Sane is meum numen et salus est, et eiusmodi munimentum, ut non commovear.
8 In Deo mea salus est atque gloria: meae potentiae numen, mea fiducia in Deo est.
9 Ei confidite omni tempore mortales: effundite apud eum vestros affectus, qui Deus est nostra fiducia. Sela.
10 Sane adeo vana res est genus hominum, adeo frivolum quiddam est mortale genus, ut si simul in statera ponantur, sint ipsa vanitate leviores.
11 Ne confidite fraudibus et rapinis: ne vos usque adeo vanos praebete: opes si affluant, ne in eas animum intendite.
12 Unum pronunciat Deus, id quod ego non semel audivi, Dei esse potentiam,
13 tuamque Domine esse benignitatem, qui pro suo quenque facto remunereris.

LXIII. 1 *Davidis cantio, cum esset in sylvis Iudaeae.*
2 Deus qui meus es Deus, ego te vigilanter requiro, te animo sitio: te ipso corpore desidero, in squalida, torrida, siticulosaque terra.
3 Te quasi in fano contemplor, tuae potentiae et gloriae videndae gratia.
4 Te, cuius mansuetudo est vel vita melior, his labiis commendo:
5 atque ita dum vivam collaudabo, manus in tuo nomine attollens.
6 Equidem mihi adipe quodammodo, et pingui satiari videor, dum te ore cum labiorum modulatione laudo,
7 quandocunque tui memor in meo cubili, de te per vigilias cogito.
8 Nam mihi tu auxilio es, in cuius alarum umbra ovo.
9 Tibi animo adhaereo, qui me tua dextera sustines.
10 Qui vero meae vitae moliuntur exitium, ii ad telluris ima devenient:
11 ferrique mucrone trucidati, eandem cum vulpibus sortem subibunt.
12 At rex per Deum laetabitur, per quem quicunque iurant, gloriaturi sunt, falsiloquorum oribus obstructis.

LXIIII. 1 *Praecinenda Davidis cantio.*
2 Exaudi Deus orationis meae vocem: ab hostili terrore vitam meam tuere.
3 Subtrahe me improborum conatui, insultui maleficorum.
4 Qui suas linguas ut enses acuunt, dirorum spicula verborum iaculantes.

5 Ut ex occulto in homines integros collineantes eos de improviso figant, nihil tale metuentes.
6 Confirmant sese ad rem malam, de abscondendis pedicis consultantes, solliciti ne quis eas animadvertat.
7 Comminiscuntur iniqua, quae excogitata perficiant, et quidem adhibitis ad id penitissimis cuiusque mentis sensibus.
8 Sed eo figet eos telo Deus, ut inexpectatis percutiantur ictibus.
9 Adeo ut percussis ex ea re linguis haesitent, eos quicunque viderint.
10 Quo viso, homines omnes Dei praedicabunt opus, eiusque factum rite perpendent.
11 Tum boni gaudebunt in Iova, eique confident gloriantes omnes mente probi.

LXV. 1 *Praecinenda Davidis cantio musica.*
2 Tibi destinata laus est Deus in Sione, votaque solvenda sunt.
3 Ad te, qui preces exaudis, mortales omnes convenient.
4 Nos quidem vitiorum negocium superaverat, sed tu delicta nostra expias.
5 Beatus quem tu deligis, et cooptas: in tuis habitaturum porticibus, satiandum tuae domus, tuae sacrae cellae bonis.
6 Tu nobis mirifica aequitate indulges, Deus nostrae salutis, qui es omnium terrae finium, et mari remotorum fiducia.
7 Qui montes tua virtute constabilis, accinctus fortitudine.
8 Qui pelagi murmur coerces, murmur eius undarum, tumultumque populorum.
9 Cuius prodigia formidant, qui usquam habitant: qui et matutini ortum, et vesperum exhilaras.
10 Qui terram curando, perpetuandoque multum locupletas, divino rivo aqua pleno hominibus frumenta suppeditans.
11 Sic enim eam paras, dum sulcos eius irrigas, glebas deprimis, eam imbre emollis, eiusque germina foecundas.
12 Annonam bonis tuis ornas, tuique gressus manant ubertate.
13 Manant saltuum pascua, collesque laetitia cinguntur.
14 Vestita plana pecudibus, et farre valles obductae, hilari cantu personant.

LXVI. 1 *Praecinendum carmen musicum.*
Sonate Deum totus orbis:
2 Cantate nomini eius gloriam, laudis ei praestantes honorem.
3 Dicite Deo, o quam horrenda sunt tua facta? tibi propter magnitudinem tuae potentiae, tui subiiciuntur hostes.
4 Te universus orbis terrarum colet, atque cantabit: tuum nomen cantabit.
5 Adeste, considerate Dei opera, quam sit erga genus humanum natura mirificus.
6 Mare convertit in siccum: traiectum est flumen pedibus, nobis ibi eo laetantibus.
7 Quia sua virtute dominatur aeternum, oculis ita gentes speculans, ut se contumaces non efferant. Sela.
8 Commendate populi Deum nostrum, eius laudationis voce personantes.
9 Qui nostras vita donat animas, pedes nostros labare non passus.
10 Expertus es tu quidem nos Deus: nos explorasti sicut exploratur argentum.
11 Nos in retia egisti: nos cruciatu laterum affecisti.
12 Homines imposuisti capitibus nostris, venimus per ignes et per aquas: et idem nos in

ubertatem eduxisti.
13 Veniam in aedem tuam cum victimis, mea tibi vota persoluturus,
14 quae labiis nuncupavi, quae ore promisi in meis adversis.
15 Victimas tibi pingues immolabo, cum arietino suffitu: faciam cum hircis boves. Sela.
16 Adeste, audite, dum narro, omnes Dei reverentes, quid mihi praestiterit.
17 Eum ore invocavi, et lingua subvexi.
18 Quod si cuiuspiam criminis mihi conscius fuissem, non exaudivisset Dominus.
19 Atqui exaudivit Deus, ad vocem meae precationis intentus.
20 Gratias ago Deo, qui meas preces non repudiarit, neque suam mihi negaverit clementiam.

LXVII. 1 *Praecinenda fidibus cantio musica, G. carmen Ieremiae et Hezechielis, captivi populi cum essent profecturi. H.*
2 Deus miserere nostri, et nobis fave, tuo nos illustrando vultu. Sela.
3 Ut in terris tua ratio, ut apud omnes gentes tua cognoscatur tutela.
4 Te populi Deus celebrent, te populi celebrent universi.
5 Gaudeant, oventque nationes, quod populos ex aequo regas, et nationes moderere per terras. Sela.
6 Te populi Deus celebrent, te populi celebrent universi.
7 Edente suum terra proventum, Deus nobis Deus faveat noster.
8 Faveat nobis Deus, eumque omnes terrarum tractus revereantur.

LXVIII. 1 *Praecinenda Davidis cantio musica.*
2 Exurget Deus, dissipabuntur eius hostes, fugientque ante eum eius osores.
3 Ut fumus disiicitur, sic eos ille disiiciet: ut liquescit igni cera, sic a Deo peribunt impii.
4 Boni vero gestientes gaudebunt apud Deum, fruenturque voluptate.
5 Canite Deum, cantate nomen eius: extollite eum qui polis vehitur, cuius nomen est in Iova: et apud hunc laetitia gestite.
6 Pater est pupillorum, patronus viduarum: Deus in suo sacro domicilio.
7 Deus qui solitarios domi collocat, compedibus vinctos educit: cum interim rebellatores siticulosa loca incolant.
8 Deus cum tuo populo praeires, cum per solitudinem incederes: Sela.
9 terra contremiscebat, ipsique coeli fluebant, ad illius Sinaiensis Dei praesentiam, ad Dei, Israelitarum Dei praesentiam.
10 Tu pluvia magnifice tuum Deus patrimonium conspergebas, fessumque recreabas.
11 Atque illic tuae consedere copiae, te Deus (quae tua bonitas est) inopibus prospiciente.
12 Suppeditabit Dominus argumentum nunciis magni exercitus mulieribus:
13 cessere, cessere copiarum reges, et domi resides spolia partiuntur.
14 Etiamsi iacueritis inter cortinas, similes columbinarum eritis alarum, argentei coloris, plumis in aurum virentibus.
15 Profligatis quidem in ea ab Omnipotente regibus erit ipsa nivoso Salmone candidior.
16 Mons Dei, mons est fertilis, mons tumidus, mons est fertilis,
17 (cur insolescitis montes tumidi?) mons in quo Deus amat habitare, quem ipse Iova incolet in perpetuum.
18 Iovae quadrigae sunt non semel decem millia: multiplicia millia, in quibus est Dominus Sinaiensis in fano.

19 Ascendis in altum: captivos abducis: donis fungeris inter homines, et quidem etiam contumaces, ut permaneat Iova Deus.
20 Laudetur Dominus in dies in nos munificus, nostrae Deus salutis. Sela.
21 Qui Deus nobis Deus est ad salutem, et Iovae Domino ad mortis exitum.
22 Sane Deus caput truncabit hostium eius, verticem comatum versantium in suis criminibus.
23 Dominum (inquit) ex Basana retraham, retraham ex pelagi gurgitibus:
24 ut et tu tuos in hostium sanguine pedes, et tui canes eodem linguam lavent.
25 Spectatur tuus incessus, Deus, incessus mei Dei, mei regis in fano,
26 praeeuntibus cantoribus, sequentibus fidicinibus, in medio pulsantibus tympana puellis.
27 Collaudate Deum Dominum gregatim, vos ex fonte Israelis.
28 Princeps adsit pusillus Beniamin, et Iudaei proceres in primis, proceres Zabulonii, proceres Nepthalenses.
29 Constituit tuam Deus tuus potentiam: confirma Deus quod nobis facis.
30 Ob tuum fanum tibi Hierosolymam munera reges afferent.
31 Territa gregem lanceariorum, rempublicam eorum qui sunt quasi tauri quidam inter populorum vitulos, demersam in argenti segmentis, profliga populos certandi cupidos.
32 Advenient ex Aegypto lautissimi quique.
33 Aethiopia Deo manus suas curret.
34 Terrestria regna canite Deum: cantate Dominum. Sela.
35 Qui coelos, qui antiquos coelos insidet, vehementem sua voce sonitum daturus.
36 Tribuite Deo potentiam, cuius excellentia est erga Israelitas, et in aethere potentia.
37 Qui Deus in suo mirificus sacrario, Deus Israelitarum, potentiam viresque dat populo divinitus fortunato.

LXIX. 1 *Praecinendum ad rosas Davidis.*
2 Conserva me Deus, in aqua de vita periclitantem.
3 Demergor in tantam paludis voraginem, ut nullum sit fundum: venio in tantam aquae profunditatem, ut fluctibus obruar.
4 Mihi et guttur clamandi lassitudine raucum est, et oculi Deum meum suspiciendo deficiunt.
5 Me plures quam sunt mei capitis capilli oderunt immerito: tot me hostes iniuria incessunt, ut quod non rapui, tamen reddam.
6 Deus tu scis an sim in vitio, neque te mea latent crimina.
7 Ne in me pudeat eos, qui in te spem habent, Domine Iova armipotens: ne ignominia afficiantur in me tui cupidi, Deus Israelitarum.
8 Nam tua causa infamiam sustineo, faciem ignominia tectam habens.
9 Alienus et extraneus meis habeor fratribus, eadem mecum matre natis.
10 Quoniam tuae domus studio conficior, tuorumque conviciatorum conviciis impetor.
11 Quodque me flebiliter ieiuniis affligo, hoc mihi probro datur.
12 Et dum centone pro veste utor, sum eis dicterio.
13 De me fabulantur in curia sedentes, et cantilenas habent inter pocula.
14 Ego vero a te precibus Iova contendo, tempore accepto, Deus, ut pro tua singulari clementia, mihi (quae tuae tutelae fides est) exoreris.
15 Eripe me ex luto, ne summergar: liberer a meis osoribus, ex aquae profunditate.

16 Ne me fluctus obruat aquae: ne gurges hauriat: ne hiatu absorbeat vorago.
17 Exaudi me Iova pro tua tam benigna clementia: pro tam praestanti humanitate respice me.
18 Neve me tuum aversare, qui sum in periculo: propera exaudire me.
19 Accede ad vitam meam vindicandam, me propter hostes meos redime.
20 Tu meum probrum, pudorem, et ignominiam novisti, habes omnes adversarios meos in conspectu.
21 Cor mihi probro rumpitur: anxius expecto commiserationem, quae nulla est: consolationem, quam nullam adipiscor.
22 Quin mihi pro cibo fel, et sitienti acetum porrigunt bibendum.
23 Sit eis apposita mensa laqueus, et pacatissima quaeque detrimentosa.
24 Caligent oculis ne videant, eisque latera iugiter obtunde.
25 Effunde in eos tuam bilem, et eos ardenti ira opprime.
26 Fiat eorum habitatio deserta, nemine in eorum domiciliis habitante.
27 Quandoquidem quem tu caecidisti insectantur, sauciorum tuorum dolorem adaugentes.
28 Eorum vitia vitiis accumula, neve in tuam veniant iustitiam.
29 Deleantur ex libro vivorum, neque iustis ascribantur.
30 Me vero inopem et aegrum tua Deus protegat tutela.
31 Laudabo Dei nomen carmine, eum gratiis agendis magnificans.
32 Id quod erit Iovae gratius, quam bos, quam taurus cornutus cornipes.
33 Quo viso laetabuntur inopes, Dei studiosi mente vivent,
34 Quod exaudiat pauperes Iova, vinctos suos non contemnens.
35 Eum coeli atque terrae, eum maria, quaeque in eis moventur omnia collaudabunt.
36 Siquidem Deus Sionem conservabit, urbesque Iudaeae construet, ut ea incolatur et possideatur.
37 Eamque tenebit eius cultorum progenies, et eius amatores nominis habitabunt.

LXX. 1 *Praecinendum Davidis ad admonendum. G. ad Servet me Dominus. H.*
2 Deus ad me defendendum, Iova ad mihi subveniendum festina.
3 Turpiter frustrentur qui meae neci student: foede retro cedant mei malevoli.
4 Auferant hoc impudentiae suae praemium, ut vertantur, qui dictitant Oho oho.
5 Exultent et laetentur in te omnes tui studiosi, semperque dictitent magnificandum esse Deum amatores tuae tutelae.
6 Mihi vero inopi et pauperi Deus propera, qui meus es propugnator, atque liberator, Iova ne cunctare.

LXXI. *G. Davidis cantio Ionadabidarum, et eorum qui primo in captivitatem ducti sunt. H.*
1 Tibi Iova confido, ne frustrer unquam.
2 Pro tua iustitia defende et libera me: praebe mihi aurem, sic ut me conserves.
3 Esto mihi pro firma rupe, in quam me semper recipiam: tu qui me mandas conservandum, qui mihi rupis et arcis es loco.
4 Mi Deus libera me ab impiorum manu, ab iniquorum atque saevorum manu.
5 Nam tu mea spes es Domine Iova, mea iam a teneris fiducia.
6 Te nixus sum iam ab utero: tu me ex meae parentis ventre extraxisti: in te mea perpetuatur laudatio.

7 Equidem multis sum quasi portentum quoddam: sed tu mihi firma fidentia es.
8 Tuis plenum laudibus os, et honore, continenter habeo.
9 Ne me reiice tempore senectutis: ne me viribus effoetum desere.
10 Etenim contra me deliberant hostes mei: quique meam vitam captant, in hunc modum consultant:
11 Deus eum deseruit: persequendus est, et capiendus, dum nullus defendit.
12 Deus noli a me abesse, mi Deus, ad mihi succurrendum festina.
13 Pudore conficiantur meae vitae adversarii: infamia et turpitudine cooperiantur, qui meo malo student.
14 Ego vero spem perpetuo fovens, ad tuas tot laudes addam.
15 Ore tuam assidue iustitiam et victorias exponam, quarum ignoro numerum.
16 Obibo fortia Domini Iovae facinora, tuam solius iustitiam commemorans.
17 Deus tu me a pueris docuisti, et hactenus tua praedico miracula.
18 Ne ad senectam quidem et canos Deus me desere, dum tuum brachium posteris, dum tuam futuris omnibus praedico virtutem:
19 et arduam, o Deus, iustitiam, qui Deus tam magna facis, ut sis incomparabilis.
20 Qui cum mihi multa exhibuisses adversa atque tristia, mihi vitam reconciliatus defenderis: qui me ex ima tellure reconciliatus extraxeris:
21 qui meam amplificaveris magnitudinem: qui me, pacatior factus, recreaveris.
22 Ego quoque te instrumento nablo, tuam fidem celebrabo, mi Deus, te cithara cantabo o auguste Israelitarum.
23 Te ovantibus cantabo labris, atque animo, quem redemeris.
24 Nec non lingua tuam totos dies meditabor iustitiam, quod turpiter frustrati fuerint qui mihi malum moliebantur.

LXXII. 1 *De Salomone. G. Cantio Davidis. H.*
Deus iura tua regi, iustitiam tuam regis filio da.
2 Populum tuum ex aequo, tuos inopes ex iure iudicabit.
3 Ferent montes pacem populo, et colles iustitiam.
4 Hominibus patrocinabitur inopibus: tuebitur genus pauperum, fraudatores attenuans.
5 Atque ita dum sol, et diutius quam luna durabit, aeternis timebere seculis.
6 Erit quasi descendens in detonsa prata pluvia, ut terram irrorans imber.
7 Florebunt eius tempore boni, multaque pax donec desinat esse luna.
8 Imperabitque ab altero mari ad alterum, a flumine ad extremum terrae.
9 Ei sylvani succumbent, eiusque hostes lingent pulverem.
10 Ei Ciliciae insularumque reges munera pensitabunt: ei Arabes Sabaeique stipendium afferent.
11 Eumque colent omnes reges, omnes ei gentes servient.
12 Liberabit enim conquerentes pauperes, et defensore carentes inopes.
13 Tenues miserabitur et egenos, pauperumque vitam tuebitur,
14 eos a fraude et iniuria vindicando, et eorum sanguinem in precio habendo.
15 Vivet, eique suppeditabit aurum Arabicum, et pro eo fient assiduae preces, cum quotidianis in eum faustis ominationibus.
16 Fietque ut farris pugilli terrae mandati fructus in montano vertice strepat ut Libanus, florentibus terrestrium herbarum more civibus.
17 Erit nomen eius in perpetuum: quandiu sol manebit, eius fama propagabitur: in eoque

sibi placebunt omnes gentes, eum beatum ferentes.
18 Laudetur Iova Deus Israelitarum, Deus solus mirificus.
19 Laudetur et eius gloriosum nomen in aeternum, eiusque gloria repleatur universus orbis terrarum:
20 Etiam atque etiam.
Hactenus precationes Davidis Isaei filii.

PSALMORUM LIBER TERTIUS.

LXXIII. 1 *Asaphi cantio.*
Est quidem bonus Israelitis Deus, mente puris.
2 Verum ego fere pedibus deflexi, gressu propemodum labefactato,
3 quod indignarer in vecordes, res impiorum prosperas animadvertens.
4 Non sunt enim necessitates, quae eos enecent: sed vigent valentque.
5 Humanis laboribus non agitantur, neque cum caeteris clades patiuntur.
6 Itaque superbia torquati, iniusticiae amictu palliantur.
7 Eis oculi prae obesitate prominent, animi vota superant.
8 Occalluerunt, atrociaque loquuntur facinora, fastidiose loquuntur.
9 Et ore coelos attingunt, et lingua peragrant terras.
10 Propterea eo rediguntur illius homines, quasi undantibus fluctuantes in aquis,
11 ut in hunc modum ratiocinentur: Scilicet haec intelligit Deus, scilicet habet horum cognitionem Supremus.
12 En impii hi, in hac vita fortunati, opes consequuntur.
13 Nae ego frustra et mentem meam expurgo, et manus innocentia perluo,
14 cum quotidianas calamitates, assiduaque perferam supplicia.
15 Si hunc in modum argumentari cogito: En iniuriam facio tuorum filiorum generi.
16 Itaque hoc mihi perspicere conanti, videbatur arduum.
17 Donec ingressus in Dei sanctuarium, consideravi illorum exitum.
18 Enimvero tu in lubrico collocatos deiicis in exitium:
19 Adeo, ut quam repentina deleti calamitate, horribili modo conficiantur.
20 Ut somnium evanescit expergefactis, sic tu eorum imaginem, Iova, in civitate aboles.
21 Sed mihi cor erat in fermento, meique renes extimulabantur:
22 adeo apud te bardus et imperitus, adeoque brutus eram.
23 Cum apud te ea semper conditione sim, ut tu me dextera mea prehensum,
24 tuo consilio ducas, deinde ad honorem cooptes.
25 Ecquem, excepto te, vel in coelis habeo, vel in terris, quem adamem?
26 Deficiat licet corpus, corque meum, mei cordis numen est, meaque conditio, Deus in perpetuum.
27 Nam certe perituri sunt, qui a te recedunt: perdes omnes qui a te meretricio more deficiunt.
28 Mihi vero suavis cum Deo familiaritas est, fiduciam in te, Domine Iova, collocatam habenti, tuis tot operibus enarrandis.

LXXIIII. 1 *Asaphi institutio.*
Cur o Deus tanta ira in oves tuorum pascuorum exarsisti, ut eas prorsum reieceris?
2 Memento civitatis tuae, quam olim comparasti: nationis tui patrimonii, quam vindicasti:

montis illius Sionis, quem incolis.
3 Incede sublimis, ad evertendos funditus omnes sacro nocentes hostes.
4 Perstrepunt tui perduelles, positis suis signis, hoc est trophaeis, in mediis tuis curiis.
5 Ita ut videantur in densas arbores alte secures immitti.
6 Iamque eius valvas bipennibus simul, et malleis demoliti,
7 iniecerunt ignem in tuum sacrarium, humi polluto tui nominis tabernaculo.
8 Et habentes in animo ea semel depopulari, cremarunt omnes Dei curias in hac regione.
9 Signa nostra non videmus: non iam vates, non nobis adest qui sciat quousque duratura sint haec.
10 Quousque tandem, o Deus, conviciabuntur adversarii, proscindent hostes nomen tuum?
11 Cur istam manum, cur dexteram intra sinum tuum omnino contrahis?
12 Cum sis iam olim Deus rex noster, victoriarum per terras autor.
13 Tu divulso ista potentia mari, capita cetorum in aquis perfregisti.
14 Tu dissectis balaenae capitibus, eam sylvanorum populo dedisti ad pastum.
15 Tu fontem flumenque expressisti: tu vehementia exiccavisti flumina.
16 Tua dies, ipsa tua nox est: tu lucem solemque condidisti.
17 Tu omnes terrarum statuisti terminos: aestatem tu, hyememque creavisti.
18 Memineris huius tam contumeliosi hostis, o Iova, et insanorum hominum tuum nomen proscindentium.
19 Ne prode feris vitam tuae turturis: noli perpetuo gregis inopum tuorum esse immemor.
20 Specta foedus, quandoquidem refertae sunt terrae latebrae domiciliis iniusticiae.
21 Effice ne turpiter abeant tenues, ut inopes et pauperes nomen tuum laudent.
22 Agedum Deus, age tuam causam: memento ignominiae, qua te quotidie afficiunt insani.
23 Ne immemor esto vocis adversariorum, tumultus infestorum tuorum crescentis assidue.

LXXV. 1 *Praecinenda, Ne corrumpe, Asaphi musica cantio.*
2 Agimus tibi gratias Deus, tibi gratias agimus, cuius praesens adest nomen tua narrantibus miracula.
3 Cum certum tempus adeptus fuero, equidem ex aequo iudicabo.
4 Dissolvitur et tellus, et omnes eius incolae, cuius ego constabilivi columnas. Sela.
5 Edico vesanis, ne insanite: et impiis, ne cornu efferte.
6 Ne tam alte istud efferte cornu, loquentes cervice praefracta.
7 Nam nec ab ortu occasuve, nec a meridie proficiscitur excellentia.
8 Sed rerum Deus arbiter, hunc deprimit, illum extollit.
9 Habet enim in manu Iova calicem, rubente vino plenum turbido: unde fundit ille quidem, sed ita ut eius expressam fecem bibant omnes terrarum impii.
10 At ego Iacobidarum Deum in aeternum cantans praedicabo.
11 Et impiorum omnia rumpam cornua, bonorum cornibus extollendis.

LXXVI. 1 *Praecinenda fidibus Asaphi musica cantio G. in Assyrios. H.*
2 Notus est in Iudaea Deus, magni apud Israelitas nominis.
3 Estque in Solymis eius tentorium, et in Sione domicilium.
4 Ibi fregit arcuum spicula, et clypeos, et enses et bellum. Sela.

5 Tu clarior es, et generosior, quam sunt montani praedones.
6 Direpti sunt magnanimi suo somno sopiti, nec invenere tot bellatores suas manus.
7 Ad tuas, Deus Iacobidarum, minas consopiti sunt et quadrigarii et equi.
8 Tu tu adeo terribilis es, ut ante te, quandocunque irasceris, stare quis possit?
9 Quo de coelo sententiam pronunciante, tellus ipsa territa silescit:
10 insurgente ad iudicium Deo, ad defendendos omnes terrarum inopes. Sela.
11 Nam tibi rabies hominum laudi est: tu exuperantibus furoribus decoraris.
12 Vovete, et vota solvite Iovae Deo vestro omnes eius necessarii: afferte munera terribili.
13 Qui potentibus praecludit spiritum, formidabilis regibus terrarum.

LXXVII. 1 *Praecinenda Ieduthuni Asaphi cantio.*
2 Invocatus voce mea Deus, mea voce invocatus Deus mihi auscultavit.
3 Cum essem in angustiis Dominum oravi, suppurante noctu meo vulnere sine intermissione, animo meo consolationem respuente.
4 Memor eram Dei turbidus, et cogitabundus, animo sese cruciante. Sela.
5 Et te meorum custodiam oculorum agente, sic afficiebar, ut nihil loquerer.
6 Sed praeteritum tempus, priscos annos reputans,
7 recolebam meam cantilenam noctu, cum mente mea cogitabundus, animo hunc in modum sciscitante.
8 Adeone in perpetuum aspernatur Dominus, ut deinceps fauturus non sit?
9 Prorsumne finita est eius clementia?
10 desieruntne eius promissa in omnia secula?
11 Oblitusne facilitatem Deus, misericordiam suam prae iracundia cohibet? Sela.
12 Tum cogitans mihi sperandam esse vicissitudinem dexterae supremi,
13 memoria repetebam Iovae naturam, recolendis tuis priscis miraculis.
14 Tuaque tot facinora recogitans, de tuo sic ratiocinabar ingenio.
15 Tu Deus te sancte geris, Cui Deo quis par Deus est?
16 Tu mirifice Deus tuam apud populos ostendisti potentiam,
17 dum tuos potenter vindicasti, Iacobi Iosephique posteros. Sela.
18 Viderunt aquae te Deus, viderunt aquae trepidantes, cohorrentibus ipsis fluctibus.
19 Cum quidem nubes aquis manarent: nubila fragorem ederent, tua tela ferrentur:
20 tuum in aethere tonitru sonaret, fulgura coruscarent per mundum, tellus tremefacta cohorresceret.
21 Tu per mare mensus iter, per vastas ingressus aquas, tuis non extantibus vestigiis,
22 tuos tanquam oves per Mosem et Aharonem duxisti.

LXXVIII. 1 *Asaphi institutio.*
Audite mei populares meam disciplinam, praebete aures orationi meae.
2 Aperiam os meum in sententiam, antiqua eloquens aenigmata.
3 Quae auditione didicimus, narrantibus nostris patribus,
4 non celabimus eorum prognatos, enarrandis posterorum generi Iovae laudibus, potentia et editis miraculis.
5 Sanxit enim apud Iacobeos oraculum, legemque tulit apud Israelitas,
6 qua praecepit maioribus nostris, ut ea suis natis declararent,
7 Quae sciat posteritas, quique procreandi succedent, suis porro natis enarrent,

8 quo suam in Deo spem collocent, divinique moris haud immemores, eius praecepta tueantur:
9 neque sint quales eorum maiores, natio degener atque contumax: natio vecors, et animi erga Deum infidi:
10 Ephraimitae, armati sagittarii, terga verterunt tempore dimicandi.
11 Non conservavere Dei foedus, ex eius lege vivere recusantes,
12 eiusque morum immemores, et miraculorum, quae eis exhibuerat.
13 Qui quidem apud eorum maiores mira fecerat in Aegypti agro Tanensi.
14 Eos mare partitus traduxerat, aquis quasi in acervum congestis.
15 Et per nubem interdiu, totasque noctes per lumen ignis duxerat.
16 Tum disclusis in solitudine cautibus, undas eis affatim dederat ad bibendum.
17 Et prolectis ex rupe laticibus, quasi fluviorum corrivaverat aquas.
18 At illi in eum peccare, supremum irritare in desertis perrexerunt.
19 Deumque animis tentarunt, cibum ad victum postulando.
20 Et Deo obloquentes, ita dixerunt: Nunquid poterit Deus mensam in solitudine instruere?
21 Esto, cautem percussit, manatque lympha, et exundant flumina: num et panem suppeditare poterit, aut carnis copiam suis facere?
22 Itaque ea re audita, indignato Iova, exarsit in Iacobidas ignis, et in Israelitas saevitum est:
23 qui Deo diffisi, eius tutelae non confidissent.
24 Ergo ille sublimi imperavit aetheri, apertisque coeli foribus,
25 eis Mannam ad vescendum depluit, et coeleste dedit frumentum.
26 Tam nobilem panem comederunt homines, misso eis ab illo commeatu ad satietatem.
27 Tum acto per coelum Euro, immissoque vi sua Austro,
28 pluit eis carnes pulvere crebriores, alatas aves marinis numerosiores arenis.
29 Quas in media eorum castra iniecit, circum eorum tabernacula.
30 Igitur cum vescentes sese ingurgitarent, ab illo quae concupiverant adepti:
31 nondum cupiditatem deposuerant, adhuc suum in ore cibum habentes,
32 cum eos aggressa Dei ira, interfecit eorum unctissimos quosque, et Israelitarum lectissimos edomuit.
33 Ac cum sic quoque peccare pergerent, non adiungentes eius miraculis fidem,
34 ille eorum aevum celeriter, eorum annos perniciter consumpsit.
35 Quod si quando eo interficiente, eum requirebant, Deoque resipiscentes invigilabant:
36 recordantes Deum esse ipsorum numen, Deum supremum ipsorum vindicem:
37 quamvis ore eum fallerent, et lingua ei mentirentur:
38 non bene erga eum animati, neque in eius foedere fideles:
39 ipse tamen exorabilis, data venia, eos non perdebat: saepeque iram suam coercens, non totam bilem suam incitabat,
40 memor eos carnem esse, spiritu abeunte, neque redeunte.
41 Quoties eum in solitudine irritarunt? quoties ei in desertis negocium facesserunt?
42 et iterato Deum tentaverunt, augusto Israelitarum praescribentes?
43 immemores eius manus, tum cum eos ex periculis vindicarat.
44 Qui sua in Aegypto ostenta, in agro Tanensi prodigia ediderat.
45 Eorumque verterat amnes in sanguinem, ita ut flumina non biberentur.
46 Immiserat eis et insecta quae eos conficerent, et ranas quae pervastarent.

47 Et bruchis fruges eorum, et locustis laborem addixerat.
48 Et grandine vites, et imbre conglaciato peremerat sycomoros.
49 Et eorum veterina grandini, et pecora presteribus exposuerat.
50 Usus erat in eos irae suae fervore, indignatione, severitate, et asperitate, opera malorum geniorum.
51 Laxaverat in eos irae suae impetum, et nihil parcens quo minus eorum animas neci dederet, eorum vitam pesti addixerat.
52 Omniaque in Aegypto primogenita, primordia virilitatis in Chameis domiciliis occiderat.
53 Et deportatos inde suos tanquam oves, veluti gregem per deserta deduxerat.
54 Atque imperterritos tuto perduxerat, eorum hostibus mari obrutis.
55 Et in suos sacros fines adduxerat, in montem illum sua dextera quaesitum.
56 Exactisque eorum gratia gentibus, Israeliticas tribus in illarum collocaverat domiciliis, haereditate sorte eis distributa.
57 At illi summum Deum tentando exasperarunt, eius monita non conservantes.
58 Retroque cedentes praevaricati sunt, ut ipsorum maiores: inversi, ut fallax arcus.
59 Et eum suis sacellis irritarunt, suisque simulachris incenderunt.
60 Quo audito indignatus Deus, et ab Israelitis magnopere abhorrens,
61 Siluntis tentorium deseruit, quod tabernaculum apud homines collocaverat.
62 Suamque potentiam captivitati, suum decus hostili exposuit manui.
63 Et ferro suos obiecit, indignatus in suum patrimonium.
64 Eorum et iuvenes igne confecti sunt, et virgines ingloriae.
65 Sacerdotes occubuere ferro: nec viduis defleti sunt.
66 Ac quasi ex somno excitus Dominus, velut heros a vino vociferans,
67 hostium suorum terga caecidit, aeternam eis imponens ignominiam.
68 Et repudiato Iosephidarum tabernaculo, improbataque Ephraimitarum tribu,
69 delegit tribum Iudaeam, montem Sionem sibi dilectum.
70 Et suum quam magnifice sacrarium extruxit, in terra a se fundata in aeternum.
71 Delectumque suum Davidem a caulis accersivit,
72 atque ab agendis foetis abduxit, ad regendos suos Iacobeos, suumque patrimonium Israelitas.
73 Quos ille sincera mente, peritisque manibus pavit atque duxit.

LXXIX. *Asaphi cantio.*
1 O Deus, gentes tuum aggressae patrimonium polluunt tuum sacrum fanum, Hierosolymam redigentes in rudera.
2 Tuorum cadavera cultorum volucribus aeriis, tuorum corpora piorum bestiis obiiciunt comedenda terrestribus.
3 Effundunt eorum sanguinis undas circum Hierosolymam, sepeliente nemine.
4 Sumus vicinis nostris ostentui, finitimis derisui et ludibrio.
5 Quousque tandem saevies Iova, isto impetu quasi igne exardescens?
6 Effunde bilem istam in gentes ignaras tui: in regna quae tuum non invocant nomen.
7 Nam consumpti sunt Iacobidae, eorum habitatione vastata.
8 Noli in nos animadvertere praeterita commissa: propera in nos uti tua misericordia, nam valde sumus attenuati.
9 Succurre nobis Deus nostrae salutis, tui nominis gloriae causa: nosque libera, et nostris

peccatis veniam da, tui nominis gratia.
10 Ne quaerant gentes ubinam sit noster Deus: cernatur apud gentes in nostris oculis ultio effusi tuorum sanguinis.
11 Veniat in tuum conspectum gemitus vinctorum: pro tui magnitudine lacerti reliquos fac eos qui sunt morti destinati.
12 Nostrisque vicinis in sinum septuplo repende ignominiam, quam tibi Iova inurunt.
13 Nos vero tuus populus, et oves tui pascui, te in omnem seculorum perpetuitatem, tuas enarrando laudes, concelebrabimus.

LXXX. 1 *Praecinendum ad rosas oraculum cantionis Asaphi G. de Assyriis. H.*
2 Pastor Israelitarum ausculta, qui Iosepheos agis ut oves: cherubis insidens affulge.
3 Apud Ephraimitas, Beniamitas, et Manassenses excita tuam fortitudinem, et nobis suppetias veni.
4 Deus reconcilia nos, tuoque vultu collustra, et salvi erimus.
5 Iova Deus armipotens, quem ad finem succensebis tuis precantibus?
6 quos tergeminarum cibo potuque lachrymarum pascis.
7 Tu nos finitimis certamen exposuisti, nostris deridendos hostibus.
8 Deus armipotens reconcilia nos, tuoque vultu collustra, et salvi erimus.
9 Vineam ex Aegypto transtulisti, quam exactis gentibus plantasti.
10 Eique ita purgavisti solum, ut actis radicibus repleverit terram:
11 et umbra montes operuerit, ramis divinas aequantibus cedros:
12 suosque palmites ad mare, sua sarmenta ad flumen usque distenderit.
13 Cur eius diruisti sepem, ut ab omnibus carpatur viatoribus?
14 Ut ab apris sylvestribus devastetur, ut depascatur a feris?
15 Deus armipotens reconciliare quaeso: aspice de coelis, et hanc vineam respice atque cura:
16 Vitiarium, tua quod dextera consevit, scilicet natos quos tu tibi confirmasti.
17 Conflagrat igni succisa, ad tui vultus truculentiam pereunt.
18 Adsit ista manus hominibus, ista dextera hominum generi quos tu tibi confirmas.
19 Ne nos a te recedamus, sed a te conservati, nomen tuum invocemus.
20 Iova Deus armipotens, reconcilia nos, tuoque vultu collustra, et salvi erimus.

LXXXI. 1 *Praecinendum ad Gittith, Asaphi.*
2 Ovate Deo, potentiae nostrae: resonate Iacobeorum Deum.
3 Utimini cantione, adhibito tympano, suavique cithara cum nablo.
4 Clangite in novilunio tuba, nostro solenni die festo.
5 Nam is Israelitarum ritus est, iure Dei Iacobeorum,
6 qui id inter Iosepheos oraculo instituit, cum terram invaderet Aegyptiam, ubi ignotum sermonem audiebamus.
7 Subduxi vestros humeros oneri, vestris manibus a figlina deductis.
8 Vosque in angustiis invocantes liberavi, vobis occultus in tonitru postulata concessi, cum vos ad aquam iurgii explorassem. Sela.
9 Audi mi populus, dum te commonefacio: Israelita si mihi obedies,
10 non habebis alienum Deum, neque peregrinum Deum coles.
11 Ego sum Iova Deus tuus, qui te ex Aegypto deportavi: aperi os tuum, et ego id implebo.

12 Sed meus populus mihi dicto audiens non fuit: Israelitae mihi non obtemperarunt.
13 Itaque eis libidinum suarum licentiam concessi, ut suis obsequantur consiliis.
14 Quod si mihi meus populus obediret, si Israelitae meis graderentur viis:
15 confestim eorum hostes domarem, conversa in eorum adversarios manu.
16 Subiectisque eis Iovae inimicis, durarent in aeternum,
17 me eos flore pascente tritici, et melle satiante rupis.

LXXXII. 1 *Asaphi cantio.*
Deus astat in consessu divino, in medio divorum iudicans.
2 Quousque iudicabitis inique, et impiis indulgebitis? Sela.
3 Agite tenuium pupillorumque causam, inopes et pauperes absolvite.
4 Tenues et egenos liberate, eos ab impiorum defendentes iniuria.
5 Indocti imperitique sunt, in tenebris gradiuntur, nutant omnia terrarum fundamenta.
6 Equidem vos universos appello divos, et supremi filios.
7 Veruntamen ut homines moriemini, utque quivis de principibus cadetis.
8 Surge Deus, iudica terras, tu qui gentes omnes haereditate obtenturus es.

LXXXIII. 1 *Asaphi cantio musica.*
2 O Deus ne cessa, ne connive, neve quiesce Deus.
3 Nam ecce tumultuantur hostes tui, osores tui caput efferunt.
4 Contra tuum populum malitiose consultant, conspirantes contra tuos intimos in hunc modum:
5 Agite, deleamus eos ex hominum genere, ne amplius memoretur nomen Israelitarum.
6 Nam conspirant uno animo, icto contra te foedere tabernacula Idumaeorum, Ismaelitarumque: Moabitarum, et Hagarenorum:
7 Gebalenses, et Ammonitae, atque Amalechitae: Palaestina cum Tyriis.
8 Assyrii quoque sese eis coniunxere, Loto prognatis opitulantes.
9 Fac eis ut Madianitis ut Sisarae, ut Iabini apud Cisonem fluvium,
10 qui apud Endor deleti stercoraverunt humum.
11 Tracta eorum duces ut Orebum, ut Zebum, ut Zebam, et ut Salmunam omnes eorum gubernatores,
12 qui statuunt divinas occupare sedes.
13 Mi Deus, utere eis ut rota, ut stipula iactata vento.
14 Ut sylvam comburit ignis, ut montes incendit flamma:
15 sic tu illos tua tempestate vexa, tuoque turbine perturba.
16 Reple vultus eorum dedecore, ut tuum requiratur nomen Iova.
17 Foede perturbentur perpetuo, turpiterque pereant:
18 ut intelligatur, te solum isto nomine, Iova, supremum esse toto orbe terrarum.

LXXXIIII. 1 *Praecinenda ad Gittith cantio Coranidarum.*
2 O amabiles tuas sedes, Iova armipotens.
3 Conficior animi desiderio atriorum Iovae, et mente et corpore ad Deum immortalem ovans.
4 Etiam passer sibi domum invenit, et hirundo nidum, ubi pullos suos ponat ad tuas aras, armipotens Iova, mi rex atque Deus.
5 Beati qui domi tuae habitant, te continenter collaudantes. Sela.

6 Beati qui eas mente vias tenent, ut habeant sitam in te potentiam.
7 Qui si per flebilem transeant vallem, eam reddent fontalem, etiam cisternas praetexente pluvia.
8 Semperque proficient in opibus, apud Deum in Sione apparituri.
9 Iova Deus armipotens audi meas preces, ausculta Deus Iacobidarum. Sela.
Propugnaculum nostrum aspice Deus, et tui uncti personam respice.
10 Praestat enim dies unus in tuis atriis, quam mille: malim in Dei mei domo ad limen esse, quam in impiorum tabernaculis habitator.
11 Nam sol et propugnaculum Iova Deus, Iova gratiam gloriamque confert iis qui se gerunt innocenter, eis bona non denegans.
12 O armipotens Iova, beatus homo qui tibi confidit.

LXXXV. 1 *Praecinenda cantio Coranidarum.*
2 Favisti Iova terrae tuae, revocatis ex captivitate Iacobeis.
3 Dedisti tuis veniam, obductis omnibus eorum peccatis. Sela.
4 Cohibuisti tantam istam severitatem, istius irae fervore coercito.
5 Reconcilia nos Deus nostrae salutis, tua adversum nos saevitia repressa.
6 Perpetuone in nos desaevies, iram istam per aeterna secula retinens?
7 Nonne tu nos reconciliatus conservabis, ut tui laetentur in te?
8 Exhibe nobis tuam Iova clementiam, tuamque defensionem praesta.
9 Audio quid promittat Deus Iova: promittit enim pacem suo populo, suisque piis, ita ut ad dementiam non revertantur.
10 Certe adest eum reverentibus, eius praesidium, ut habitet in nostra terra gloria.
11 Pietas veritasque inter sese occurrent: iustitia et pax deosculabuntur invicem.
12 Veritas ex terra germinabit, et iustitia de coelo existet.
13 Iova quoque bona dabit, et terra nostra suas fruges edet.
14 Illum antecedet iustitia, in via vestigia ponentem.

LXXXVI. 1 *Davidis precatio.*
Praebe mihi aurem tuam, et exorare Iova, inopi atque pauperi.
2 Tuere meam animam, qui pius sum: serva cultorem tuum, mi Deus, tibi confidentem.
3 Miserere mei Iova, qui te totos dies invoco.
4 Exhilara meam, qui tuus sum, animam, qui ad te Domine animum attollo.
5 Nam tu Domine bonus et facilis es, et ad clementiam proclivis, erga omnes te invocantes.
6 Ausculta Iova meas preces, attentus ad meam vocem supplicem:
7 qui te tum, cum sum in angustiis, imploro, quod tu mihi exorari soleas.
8 Nullus tibi deorum par est, Domine: nulla cum tuis facta sunt comparanda.
9 Omnes a te factae gentes te coram adoratum venturae sunt, Domine, tuumque veneraturae nomen.
10 Nam solus tu magnus, tu mirificus es Deus. Erudi me Iova ad viam tuam, ut in tua fide gradiar: applica meam mentem ad tui nominis reverentiam.
11 Celebrabo te, Domine mi Deus, tota mente tuum nomen honorans in aeternum:
12 qui pro tuae erga me clementiae magnitudine, meam animam ab imo liberaris Orco.
13 Deus consurgunt in me superbi, crudeliumque caterva mihi necem machinatur, te sibi propositum non habens.

14 Tu vero Domine, Deus exorabilis, et misericors, ad iram tarde, ad clementiam et
auxilium propense,
15 respice me, et miserere mei: praebe tuam potentiam tuo servo, et ancillae tuae filium
tuere.
16 Ede mihi faustum omen: quo viso meos pudeat osores, quod tu mihi Iova succurreris,
meque fueris consolatus.

LXXXVII. 1 *Coranidarum musica cantio.*
2 Cuius fundamentum est sanctis in montibus, amat Iova portas Sionis prae cunctis
Iacobidarum domiciliis.
3 Gloriosa dicuntur de te, urbs divina. Sela.
4 Cum Aegyptum et Babylonem apud meos notos commemoro,
5 Adde Palaestinam et Tyrum cum Aethiopia, ille ibi natus est.
6 De Sione vero dicetur, alium atque alium in ea natum, eamque ab ipso supremo esse
conditam.
7 Si Iova scripto numeret populos, ille ibi natus est. Sela.
8 At in te cantores simul et tripudiantes, omnes mei fontes sunt.

LXXXVIII. 1 *Coranidarum cantio musica, praecinenda ad Mahalath alternis, institutio
Hemanis Ezrahitae.*
2 Iova meae Deus salutis, apud quem dies noctesque conqueror,
3 admitte meas preces, praebe aurem meae querimoniae.
4 Nam animus mihi malis satur est, meaque vita ad inferos usque accedit.
5 Inter humatos habeor, ut homo invalidus,
6 inter mortuos defunctus, ut interempti in sepulchro iacentes, quorum tu iam non
meministi, quique sunt ex tua procuratione exempti.
7 Tu me ad imum detrudis barathrum, in profundae caliginis locum,
8 et iracunde urgens toto premis impetu. Sela.
9 Atque ita meos a me familiares alienasti, ut me eis abominandum reddideris: ita
inclusum, ut exitu caream.
10 In hac ego miseria, languentibus oculis, te Iova totos dies invoco, passis ad te palmis.
11 Nunquid tu mortuis facies admiranda? aut ad te celebrandum manes resurgent?
12 Scilicet in sepulchro tua clementia, tua fides in interitu praedicetur?
13 Scilicet tua miracula in tenebris, tua iustitia in oblivionis terra cognoscatur?
14 Equidem te Iova imploro, et mane meis interpello precibus.
15 Cur hanc animam Iova reiicis, tuum mihi vultum abdens?
16 Inops ego et moribundus a pueritia, tuos perfero terrores aestuans.
17 Tuae me irae obruunt, tuae pervadunt formidines,
18 undatim circundantes assidue, et simul obsidentes,
19 cum tu a me amicos necessariosque removeris, familiaresque mei delitescant.

LXXXIX. 1 *Institutio Ethanis Ezrahitae.*
2 Tuam Iova clementiam perpetuo canam, tuam fidem in alia atque alia secula hoc ore
demonstrans.
3 Etenim cogito tuam clementiam perpetuo propagandam, qui tuam fidem coelis in ipsis
constitueris hunc in modum.

4 Percussi foedus cum delecto meo, sic iurans Davidi meo cultori.
5 Ego tuam prolem in aeternum condam, tuumque solium in perpetuas aetates construam. Sela.
6 Ergo coeli ipsi tua miracula, Iova, tuamque fidem in sanctorum coetu concelebrant.
7 Nam quis in aethere cum Iova comparandus? quis Iovae similis est in genere divorum?
8 Deus est in frequenti sanctorum concilio formidandus, omnibusque suis stipatoribus terribilis.
9 Iova Deus armipotens, quis tibi par est? Iova praepotens, qui tua fide stiparis.
10 Tu superbiae maris imperas, et fluctus cum attollit, coerces.
11 Tu Aegyptum clade attrivisti, tuos hostes tuae lacerto potentiae profligans.
12 Tui sunt coeli, tua et tellus: mundum tu, et quicquid eo continetur fundavisti.
13 Aquilonem tu dexteramque creavisti: in tuo nomine ovant Tabor et Hermon.
14 Tu lacertum robore praeditum, tu manum potentem, tu dexteram habes excellentem.
15 Tuum solium iustitia et aequitate aptum est: tibi praesto adsunt benignitas atque fides.
16 Beatus populus, qui te Iova cantare norunt, in tui vultus lumine gradientes.
17 Qui in tuo nomine gestiunt assidue, in tua sese iactantes iustitia.
18 Nam tu eorum virium ornamentum es, tuoque favore cornu nostrum evehis.
19 Etenim Iovae est nostrum propugnaculum, et sancti Israelitarum est rex noster.
20 Tu aliquando per praedictionem tuis piis pollicitus es in hanc sententiam:
21 Auxilium heroi accommodavi, electum ex plebe extuli.
22 Nactus sum Davidem meum cultorem, quem meo sacro oleo unxi.
23 Quem sic mea manu stabiliam, sic meo lacerto confirmabo,
24 ut eum non hostes superent, non iniqui homines opprimant.
25 Et eius hostes ei contundam, osores evertam, tantaque eum fide prosequar, et benignitate, ut in meo nomine eius cornu evehatur.
26 Eiusque manum mari, eius dexteram fluminibus imponam.
27 Ipse me suum patrem, Deumque et suae numen salutis appellabit.
28 Ego quoque eum primogenitum efficiam, summum regum terrarum.
29 Perpetuo meam erga eum benignitatem retinebo, meumque foedus ei fixum manebit.
30 Et eius semen in aeternum, eius solium dum coeli durabunt propagabo.
31 Quod si ex eo prognati, relicta mea lege, non se gesserint ut meae sententiae postulant:
32 si profanatis meis placitis, mea praecepta non conservaverint:
33 eorum equidem noxam virga, eorum culpam plagis vindicabo.
34 Sed meam erga eum benignitatem non interrumpam, neque fidem fallam.
35 Non meum foedus violabo, non oris mei pronunciatum mutabo.
36 Semel per sanctitatem meam iuro, Davidi non mentiturus,
37 eius semen aeternum fore, eiusque solium ut solem apud me,
38 utque lunam duraturum semper, ut sit testis fidus in aethere. Sela.
39 Atqui tu uncto tuo repudiato et repulso irasceris.
40 Rescidisti quod tuo cultori pactus eras, eius diademate humi prostrato.
41 Dirutisque omnibus eius septis, eius munitiones in ruinam redegisti.
42 Praedae est omnibus viatoribus, ostentui vicinis.
43 Extulisti eius adversariorum dexteram, exhilarasti omnes eius hostes.
44 Eius etiam ensis aciem retudisti, eum in praeliis non stabiliens.
45 Ei dignitatem abrogasti, eius solium ad terram demolitus.
46 Eius iuventutis tempus decurtasti, eum turpitudine vestiens. Sela.

47 Quousque tandem Iova latebis, ira ista quasi igne flagrans?
48 Memineris ego quantuli sim aevi, quam frivolum creaveris omne genus hominum.
49 Quis homo vivit, qui non sit mortem sensurus? qui sit animam suam ab orco vindicaturus?
50 Ubi est antiqua illa clementia, Domine, qui Davidi fidem interposito iureiurando dedisti?
51 Memento Domine ignominiae tuorum, quam ego penitus a tam multis populis perfero:
52 quanta ignominia tui hostes, Iova, quanta ignominia tui uncti calces afficiant.
53 Laudandus Iova in perpetuum:
Etiam atque etiam.

PSALMORUM LIBER QUARTUS.

XC. 1 *Mosis divini viri precatio.*
Domine tu nobis receptaculum es perpetuis seculis.
2 Tu qui ante natos montes, ante formatam terram atque orbem, ab aeterno in aeternum Deus es,
3 redigis homines in pulverem, et humanum genus redire iubes.
4 Nam apud te mille anni habentur pro hesterno die praeterito, proque nocturnis excubiis.
5 Spargis eos, somnium sunt, ut mane gramen adolescit.
6 Mane florens adolescit, et vespere recisum arescit.
7 Nam ira tua consumitur, tua perturbati saevitia.
8 Tu vitia nostra in tuo conspectu, abdita nostra in tui vultus lumine collocas.
9 Etenim tota aetas nostra irato te cedit: finimus annos nostros dicto citius.
10 Aetatis nostrae spacium septuaginta terminatur annis: aut (ut sit bona valetudo) octoginta: quorum tamen potissima pars labores sunt, et incommoda: tam celeri sectione avolamus.
11 Quod si quis irae tuae vim norit, saevitia tua est prout tui reverentia est.
12 Aetatem metiri nostram sic ostende, ut mentem acquiramus sapientem.
13 Reconciliare Iova, quid differs? et placare tuis.
14 Satiato nos mane tua clementia, et ovantes gaudebimus per omnem aetatem nostram.
15 Exhilara nos pro tempore, quo nos affligis: pro annis, quibus malum patimur.
16 Exhibeatur tuis opus, decusque tuum apud eorum natos.
17 Dominique Dei nostri voluptatem consequamur, et opus nostrarum manuum nobis perage, et opus nostrarum manuum perage.

XCI. *G. Laudatorium carmen Davidis. H.*
1 Qui habitas in praesidio Supremi, qui degis in Omnipotentis umbra,
2 statue Iovam tibi esse fiduciam, arcemque, et Deum cui confidas.
3 Is enim te a laqueo venatorio, ab exitiali peste defendet.
4 Te ala sua proteget, subque pennis eius tutus eris, eius fidei scuto atque parma.
5 Non tu nocturnos terrores, non volucres interdiu sagittas formidabis.
6 Non pestem in caligine pervadentem, non meridie grassantem luem.
7 Etiamsi tibi ad laevam mille, ad dexteram decem millia occumbant, non modo id te non attinget,
8 verumetiam tuis ipsis oculis aspicies, et videbis impiorum poenas,

9 quoniam in Iova fiduciam, quoniam in Supremo perfugium tibi collocaveris.
10 Nihil tibi mali accidet, neque clades tuam domum accedet.
11 Nam de te suis mandabit geniis, ut te quocunque perges, tueantur:
12 qui te manibus sustineant, ne pedem ad lapides offendas.
13 Pardos pervades et aspides: leones conculcabis, et dracones.
14 Quoniam mei percupidus est, eum liberabo: eum protegam, qui meum nomen agnoscat,
15 et ab eo invocatus exorabor: ei in adversis adero, eum liberans et honorans.
16 Eum aevi longitudine satiabo, meamque ei salutem praestabo.

XCII. 1 *Musica cantio ad diem Sabbathi.*
2 Convenit te Iova concelebrare, tuumque o Supreme nomen cantare,
3 tuam clementiam mane, tuam fidem noctu praedicando,
4 decachordo atque nablo, citharaeque modulamine.
5 Sic enim me Iova tuis operibus delectas, ut ad manuum facta tuarum laetus exclamem.
6 O quam magna facta tua Iova, quam profundae sunt cogitationes?
7 Hoc nesciunt stupidi, hoc non intelligunt insani:
8 ideo germinare impios sicut herbas, et omnes florere maleficos, ut in perpetuum intereant, te in sempiternum excellente, Iova.
9 Nam certe tui hostes, Iova, nam certe tui hostes perituri sunt, et profligandi omnes malefici.
10 Cum interea extolles velut unicornis meum cornu, viridique delibutus oleo,
11 poenas hostium meorum, et infestantium me improborum, et oculis cernam, et auribus audiam.
12 Boni vero ut palmae florebunt, ut cedri in Libano proficient.
13 Sati in domo Iovae, in Dei nostri atriis florebunt,
14 et adhuc in senio pingues virentesque foetificabunt,
15 ut feratur aequum esse Iovam meum numen, iniquitatis expers.

XCIII. *G. Ad pridie Sabbathi cum inhabitata terra est: laudatorium carmen Davidis. H.*
1 Iova regnat excellentia vestitus, vestitus Iova accinctusque viribus, mundum ipsum condidit immobilem.
2 Conditum est olim tuum solium, qui es ab omni aeternitate.
3 Edant licet flumina, Iova: edant flumina sonitum, edant suum flumina strepitum:
4 Tu tot aquarum sonitibus, tam insignibus maris fragoribus insignior es in sublimi Iova.
5 Oracula tua certissima sunt: domum tuam decet, Iova, diuturna sanctitas.

XCIIII. *G. Davidis cantio ad trinam Sabbathi. H.*
1 Deus ultor Iova, Deus ultor affulge.
2 Invehere terrarum arbiter: redde superbis praemium.
3 Quousque impii, Iova, quousque exultabunt impii?
4 Intoleranda verba proferunt, insolescentes omnes malefici.
5 Populum tuum, Iova, atterunt: tuum patrimonium affligunt.
6 Viduas et peregrinos interimunt, et pupillos occidunt:
7 et id videre Iovam, id Iacobidarum Deum negant intelligere.
8 Intelligite, o hominum stupidissimi, et insani: ecquando sapietis?

9 Scilicet aurium sator non audiet? aut oculorum formator non cernet?
10 scilicet gentium punitor non poenas sumet? Qui scire docet homines,
11 Iova, scit hominum cogitationes esse vanas.
12 Beatus homo quem tu Iova corrigis, tuamque legem doces,
13 ut securum reddas a malis temporibus, dum cavatur impiis fovea.
14 Non enim destituet Iova suum populum, non deseret suum patrimonium:
15 quin ad iusticiam redeat iudicium, quam sequantur omnes homines frugi.
16 Quis mihi resistit improbis? quis mihi cum maleficis congreditur?
17 Nisi Iova mihi succurreret, periculum esset ne apud inferos habitarem.
18 Sed cum mihi pedem labefieri cogito, tua mihi Iova adminiculatur clementia.
19 In tot mei pectoris solicitudinibus, tua mihi consolatio recreat animum.
20 Nihil enim tibi commune est cum solio sceleratorum, qui facinora patrant ex instituto:
21 coeuntes contra iustas animas, et innocentem sanguinem condemnantes.
22 Sed mihi Iova praesidio est: mihi Deus meus numen est, cui confidam:
23 qui illis iniuriam rependet, et ob ipsorum improbitatem perdet eos, perdet eos Iova Deus noster.

XCV. *G. Laudatorium carmen Davidis. H.*
1 Adeste, cantemus Iovam, resonemus numen salutare nobis.
2 Interpellemus eum celebrando, et cantionibus resonando.
3 Etenim Deus magnus est Iova, et rex omnium maximus deorum.
4 Cuius in manu terrae penetralia, cuius sunt montium altitudines.
5 Cuius est mare quod ipse fecit, siccumque suis quod manibus formavit.
6 Agite veneremur supplices, flexis ante Iovam creatorem nostrum genibus.
7 Is enim Deus noster est, et nos eius gubernationis populus, eiusque procurationis oves.
8 Cuius vocem si hodie audieritis,
9 nolite mentes obfirmare vestras, ut in illo iurgio, ut in die tentationis in solitudine,
10 cum me tentavere maiores vestri, cum me probavere, quamvis meum vidissent opus.
11 Quorum generis ego quadraginta pertaesus annos, cogitans homines esse socordes, meaeque ignaros viae,
12 iratus iuravi, non esse in meam requietem perventuros.

XCVI. *G. Laudatorium carmen Davidicum, cum templum aedificatum esset post captivitatem. H.*
1 Cantate Iovam novo carmine, cantate Iovam totus orbis terrarum.
2 Cantate Iovam, eius nomen commendantes, eiusque tutelam quotidie praedicantes.
3 Eius gloriam in gentibus, eius miracula in omnibus narrate nationibus.
4 Nam maximus est Iova, et laudabilissimus, omniumque deorum formidabilissimus.
5 Omnes enim caeterarum nationum dii deastri sunt: at Iova coelorum conditor est,
6 quem penes est maiestas, et autoritas, cuiusque in sacrario potentia est atque decus.
7 Tribuite Iovae, o populorum genera, tribuite Iovae gloriam atque potentiam.
8 Tribuite Iovae nomini gloriam, et munera ferentes venite in eius atria.
9 Veneramini Iovam cum decenti sanctimonia: hunc contremiscite universus orbis terrarum.
10 Dictitate per gentes, Iova regnat, is qui mundum condidit immobilem, populos ex aequo iudicaturus.

11 Gaudeant coeli, exultetque tellus: intonet mare, et quod eo continetur.
12 Gestiant et agri et quicquid in est, tum omnes sylvarum ovent arbores.
13 In adventum Iovae, qui venit, qui venit iudicatum terras, orbem iuste, et populos fideliter iudicaturus.

XCVII. *G. Davidis cantio, cum in eius potestatem venisset terra. H.*
1 Iova regnat, exultet tellus, laetentur tot insulae.
2 Nube circundatus et caligine, solium habet ex iustitia et aequitate aptum.
3 Eum praecedit ignis, eius hostes undique inflammans.
4 Micant per orbem eius fulgura, quo viso terra concutitur.
5 Montes ut cera liquescunt adventu Iovae, adventu Domini totius terrae.
6 Eius praedicant iustitiam coeli: eius gloriam vident omnes nationes.
7 Pudeat omnes simulachricolas, de deastris gloriantes: eum veneramini omnes dii.
8 Quo audito gaudeat Sion, laetenturque Iudaeae puellae, propter tua, Iova, iudicia:
9 qui toto orbe terrarum summus, deorum omnium longe supremus es.
10 Odio habete malum, amatores Iovae, qui piorum suorum vitas tuetur, eos ab impiorum manu defendens.
11 Lux seritur iustis, et mente probis gaudium.
12 Gaudete iusti in Iova, eius sanctam celebrantes memoriam.

XCVIII. *Cantio G. Davidis, H.*
1 Cantate Iovam novo carmine, qui mira facit, dum sibi sua dextera, suo sacro brachio victoriam parit.
2 Ostendit Iova suam victoriam, in oculis gentium suam patefacit iustitiam:
3 memor suae erga domum Israeliticam mansuetudinis, atque fidei, spectantibus Dei nostri victoriam omnibus terrarum finibus.
4 Resonate Iovam totus orbis: prorumpite, ovate et cantate.
5 Cantate Iovam cithara, cithara et canora voce.
6 Buccinis et tubae sonitu personate ante regem Iovam.
7 Reboet et mare, et quod eo continetur: orbis, et eius habitatores.
8 Ipsi manibus plaudant amnes, simulque montes ovent in adventum Iovae: qui venit iudicatum terras, orbem iuste, et populos iudicaturus ex aequo.

XCIX. *G. Cantio Davidis. H.*
1 Iova regnat, contremiscant populi: Cherubis insidet, commoveatur tellus.
2 Iova in Sione adeo magnus est, omnes ut populos supereminneat.
3 Celebretur magnum istud et terribile nomen, quod sanctum est.
4 Regia quidem potentia ius amat: tu aequitatem constituis, tu ius aequumque facis apud Iacobeos.
5 Extollite Iovam Deum nostrum, eiusque pedum subsellium veneramini, qui sanctus est.
6 Moses et Aharon ex eius sacerdotibus, et Samuel ex eius nomen invocantibus, Iovam invocantes exorabant,
7 eosque ipse in columna nubis alloquebatur, conservantes oracula et institutionem ipsis ab eo traditam.
8 Tu Iova Deus noster, qui te sic facilem Deum eis praebebas, ut ab eis exorareris, tamen eorum factum ultus es.

9 Extollite Iovam Deum nostrum, eiusque sanctum montem veneramini: nam sanctus est Iova Deus noster.

C. 1 *Cantio agendis gratiis G. Davidis. H.*
2 Personate Iovam totus orbis: servite Iovae cum laetitia: venite in eius conspectum cum modulis.
3 Cognoscite Iovam Deum esse, a quo, non a nobisipsis facti simus, eius populus, eiusque pascui oves.
4 Ingredimini eius portas cum commendatione, atria cum laudibus: eum celebrantes, eius nomen collaudantes.
5 Nam bonus est Iova, perpetuae clementiae, et sempiternae fidei.

CI. 1 *Davidis cantio.*
Clementiam iusque canam, te Iova cantans.
2 Innocentiae viam prudenter insistam: quando ad me venies, sincera me mente geram in mea familia.
3 Non mihi nequitiam proponam: maleficentiam sic exosus, ut apud me non haereat.
4 Perversa mens a me facesset, ignaro mali.
5 Detrahentes occulte alteri evertam, supercilium et animi elationem non feram.
6 Regionis fidelissimos quosque in oculis ferens, contubernales habebo: qui se gerent innocenter, mihi ministrabunt.
7 Non manebunt domi meae perfidiosi, non falsiloqui consistent ante meos oculos.
8 Mature evertam omnes regionis impios, excindendo ex Iovae civitate omnes maleficos.

CII. 1 *Inopis precatio, cum angitur, et apud Iovam fundit orationem.*
2 Iova audi meas preces, et meam admitte querimoniam.
3 Noli tuum mihi vultum abdere, cum versor in angustiis: praebe mihi aurem, invocanti protinus exoratus.
4 Nam mea quasi fumus evanescit aetas, meaque membra veluti torris arescunt.
5 Cor mihi velut icta siccatur herba, immemori capiendi cibi.
6 Tam gemebunda est mea vox, ut mihi adhaereant ossa carni.
7 Refero onocrotalum sylvestrem, solitario similis cuculo.
8 Pervigilo, qualis est solus in tecto passerculus.
9 Quotidiana me ignominia afficiunt hostes mei, et in me debacchantes coniurant:
10 adeo ut pulvere pro pane vescar, meamque potionem fletu diluam:
11 ob tuam saevitiam atque iracundiam, qui me sublatum abieceris.
12 Aetas mea umbrae modo inclinat, me herbae ritu arescente.
13 At tua Iova, qui manes aeternus, cuiusque sempiterna est memoria,
14 tu age miserere Sionis: nam tempus, nam eius miserandi venit occasio.
15 Desiderant enim tui cultores eius lapides, eius miserti pulveris.
16 Ita gentes tuum Iova nomen, ita omnes terrarum reges tuam reverebuntur gloriam:
17 quod instauraverit Iova Sionem, in sua conspicuus gloria,
18 et solicitorum preces non aspernatus respexerit.
19 Scribetur hoc ad posteritatem, hominesque futuri Iovam collaudabunt:
20 qui Iova de suo sublimi fano despexerit, de coelis terras aspiciens,
21 audiendo vinctorum gemitus, solvendo morti destinatos,

22 ut Iovae nomen in Sione, ut Iovae laus Hierosolymis praedicetur,
23 cum populi eodem, regnaque ad Iovam colendum convenerint.
24 Quem equidem meas vires in vitae cursu affligentem, meum aevum decurtantem,
25 sic alloquor: Mi Deus, noli me in media aetate tollere, tu qui annis sempiternus,
26 olim terram fundasti, cuiusque manuum opus sunt coeli.
27 Et illi quidem peribunt, te permanente, omnesque tanquam indumentum inveterascent, vestis in modum te mutante obsolescentes.
28 At tuorum cultorum nati (qui annorum es infinitorum) perdurabunt, eorumque stirps erit apud te stabilis.

CIII. *Davidis G. cantio. H.*
1 Collauda anima mea Iovam, et totum meum pectus sacrum eius nomen.
2 Collauda anima mea Iovam, tot eius beneficiorum haud immemor.
3 Qui tuis tot vitiis ignoscens, tuos tot morbos sanat.
4 Qui vindicat ab interitu tuam vitam, clementia te et misericordia coronans.
5 Qui bonis tuas satiat maxillas, tuam quasi aquilae iuventutem renovans.
6 Qui Iova aequum iusque facit omnibus oppressis.
7 Qui suas Mosi vias, qui suam naturam ostendit Israelitis.
8 Misericors et exorabilis Iova, ira tardus, clementia multus:
9 non perpetuo rixatur, non semper iniuriae memor est.
10 Non nos pro nostris peccatis tractat, non nos ut digna sunt nostra vitia remuneratur.
11 Quin quantum terras supereminent coeli, tantum excellit eius erga ipsius reverentes clementia.
12 Quantum distat oriens ab occidente, tantum removet a nobis delicta nostra.
13 Ut miseretur filiorum pater, sic Iova sui reverentium.
14 Novit enim conditionem nostram, memor nos esse pulverem.
15 Hominis aetas similis est graminis: floret ut flos terrestris,
16 qui a vento invasus nusquam est, eumque suus amplius nescit locus.
17 At Iovae clementia ab aeterno durat in aeternum erga eius reverentes, et iustitia erga natos natorum:
18 erga eius foederis conservantes, et obeundorum eius placitorum memores.
19 Qui Iova solium sibi composuit in coelis, regno suo omnibus imperans.
20 Collaudate Iovam eius Genii virtute praestantes, eius exequentes iussa, auditis eius mandatis.
21 Collaudate Iovam omnis eius exercitus, eius ministri eius facientes voluntatem.
22 Collaudate Iovam universa eius opera, in universis eius imperii locis: collauda anima mea Iovam.

CIIII. *G. Davidis cantio super mundi statu. H.*
1 Collauda anima mea Iovam: Iova mi Deus, perquam magnus es, autoritate vestitus, et maiestate.
2 Qui lumine quasi veste indutus, coelos tanquam velum intendis.
3 Tuas aulas in aquis contabulas, et nubium vehiculo utens, venti alis incedis.
4 Facis tibi ex spiritibus nuncios, ex igne fiammanti ministros.
5 Terram in suis basibus ita fundasti, ut nullo commoveatur aevo.
6 Quam cum profundo tanquam veste operuisses, quae super montes stabant aquae, te

increpante fugerunt:
7 et ad tui tonitrui sonum, in locum sibi a te destinatum (ascendentibus montibus, descendentibusque vallibus) praecipitaverunt.
8 Eis tu terminum statuisti, quem non transeant, neque terras iterum operiant.
9 Emittis fontes in flumina, quae montes intermeent, unde omnia terrestria bibant animalia, et onagri sitim extinguant.
10 Ad ea coelestes habitant volucres, de mediis vocem frondibus emittentes.
11 Tu montes ex tuis irrigans fornicibus, terram tuorum operum fructu exaturas.
12 Gramina pecudibus germinare facis, et herbas ad usum hominum, eliciens ex terra victum:
13 et vinum quod hominum exhilaret animos, et oleum quo niteant facies, et panem qui hominum corda sustentet.
14 Saturantur et arbores Iovae, Libani cedri ab eo satae,
15 ubi nidulentur aviculae, et in pinnis aedificans ciconia.
16 Montes ardui damis, rupes cuniculis perfugio sunt.
17 Tu lunam statorum temporum causa fecisti, solemque peritum occasus sui.
18 Si tenebras inducis, fit nox, in qua omnia sylvestria gradiuntur animalia.
19 Leones ad praedam frementes, et a Deo pabulum sibi petentes.
20 Oritur sol, sese recipiunt, inque suis lustris recubant.
21 Prodit homo ad opus munusque suum, usque ad vesperum.
22 O quam multa sunt opera tua Iova? qui cuncta sapienter fecisti, cuius rerum plena tellus est.
23 Tum vastum illud, lateque patens pelagus, ubi natantia sunt innumera, animantes minutae simul et magnae.
24 Illac eunt naves, tum balaena illa, quam tu ut in eo ludat condidisti.
25 A te pendent omnia, ut eis suo tempore pastum suppedites:
26 quem te dante colligunt, te manum aperiente satiantur bonis.
27 Si faciem tuam abdis, conturbantur: si eorum spiritum comprimis, expirant, et in suum pulverem redeunt.
28 Si spiritum tuum emittis, recreantur, et terrae faciem renovas.
29 Duret Iovae gloria in aeternum, laetante Iova suis factis:
30 cuius aspectu tellus concutitur, tactu montes fumant.
31 Canam Iovam dum vivam: cantabo Deum meum donec ero,
32 cui dum mea placeat oratio, in Iova laetabor.
33 Cum interea scelerati omnino ex orbe tollentur, et impii iam nusquam erunt: collauda anima mea Iovam. Haleluia.

CV. 1 Celebrate Iovam, eius et nomen invocantes, et naturam in populis demonstrantes.
2 Hunc canite, hunc cantate, tot eius miracula meditantes.
3 Huius in sancto nomine vos iactate, gaudentibus animis cupidorum Iovae.
4 Studete Iovae, eiusque potentiae, eius vultum requirentes continenter.
5 Recolite quae edidit miracula, prodigia, et latas ab eo sententias.
6 O Abrahami stirps eius cultoris: o Iacobo prognati, eius electo:
7 is Iova Deus noster est, cuius iura toto patent orbe terrarum:
8 memor in aeternum sui foederis, rei quam in mille secula mandavit,
9 quod cum Abrahamo percussit, quod Isaaco iureiurando confirmavit,

10 idque Iacobo statuto, Israeli pacto statuit aeterno,
11 promittens sese eis Chananaeam daturum terram, eorum patrimonii sortem.
12 In qua cum essent exigui numero, pauci, et ii peregrini:
13 cumque ex aliis gentibus ad alias, ex aliis regnis ad alias migrarent nationes,
14 non permisit eis a quoquam iniuriam fieri: quin eorum causa animadvertit in reges.
15 Nolite meos unctos tangere, meisve nocere vatibus.
16 Deinde cum in ea regione famem excitasset, fracto omni alimentorum adminiculo,
17 praemisit illis hominem, in servitutem venditum Iosephum,
18 cuius pedes compedibus vexati, cuius anima tentata ferro est,
19 usque ad id tempus, quo venit quod erat de eo decretum: eumque Iovae iussu exploratum,
20 rex hominum dominator eruendum, solvendumque curavit: et domus suae dominum, omniumque suarum facultatum gubernatorem constituit:
21 ut et proceres eius arbitratu suo cogeret, et senatores erudiret.
22 Ergo venit Israel in Aegyptum, peregrinatus est Iacobus in terra Chamea.
23 Atque ille populum suum ita foecundavit, ut eum supra ipsius hostes augeret.
24 Itaque illorum animos ad populi sui odium, ad suos cultores circumveniendos convertit.
25 Tum Mosem cultorem suum, et a se delectum Aharonem misit,
26 qui apud illos mandata ab eo ostenta et prodigia ediderunt in terra Chamea.
27 Tum tenebrarum obscuritatem invexit, illis eius mandata non detrectantibus.
28 Mutavit illorum aquas in sanguinem, eorumque pisces necavit.
29 Scatuit eorum terra ranis, etiam in ipsorum penetralibus regum.
30 Iussit et insecta provenire, et pediculos in omnibus eorum finibus.
31 Eis pluviae loco grandinem, flammantesque immisit ignes in eorum terram,
32 et eorum vites ficusque contudit, arboresque finium eorum perfregit.
33 Iussit et locustas bruchosque existere innumerabiles,
34 qui omnes in eorum territorio herbas, terraeque fruges perederunt.
35 Occidit et omnia in eorum regione primogenita, omnis eorum virilitatis primordium.
36 Atque ita suos aurum argentumque ferentes eduxit, nemine in eorum tribubus impedito,
37 gaudentibus eorum emigratione Aegyptiis, utpote eorum terrore perculsis.
38 Ille nubem explicuit in operimentum, ignemque ad noctu praelucendum.
39 Petentibus coturnices invexit, eosque coelesti pane satiavit.
40 Cautem disclusit, unde scatente lympha, manavit per deserta fluvius.
41 Meminerat enim, quid Abrahamo cultori suo sancte promisisset.
42 Igitur populum suum cum laetitia, delectos suos cum cantu eduxit:
43 eisque gentium aliarum terras, eis populorum laborem dedit possidendum:
44 ut eius decreta legesque tuerentur et conservarent. Haleluia.

CVI. *Haleluia.*
1 Celebrate Iovam qui bonus, qui aeternae est clementiae.
2 Quis Iovae virtutes, quis omnes fando laudes exprimat?
3 Beati qui ius tuentur, qui aequum faciunt omni tempore.
4 Memento mei Iova pro tuo erga tuos favore: affice me tua salute:
5 ut electorum tuorum bona videam, ut tuae gentis voluptate fruar, cum tua glorians

haereditate.
6 Peccavimus cum maioribus nostris, vitiose et impie egimus.
7 Maiores nostri in Aegypto tua miracula non rite perpenderunt, tuorumque tot
beneficiorum immemores, in ora maris rubri rebellarunt.
8 Et tamen eos propter suum nomen conservavit, ut suam ostenderet potentiam.
9 Increpitoque et exiccato mari rubro, per profunda duxit tanquam per sylvam,
10 et ab adversariorum manu defendit, ab hostium manu vindicavit:
11 cum interim eorum hostes sic obruti fuerint aquis, ut ex eis ne unus quidem
superfuerit.
12 Itaque illi eius dictis credentes eius cecinere laudes.
13 Sed eius factorum protinus obliti, non expectato eius consilio,
14 capti cupidine in sylvis, Deum in solitudine tentarunt:
15 qui eis ita postulata dedit, ut eis vitae luem immiserit.
16 Item inviderunt Mosi in castris, et Aharoni Iovae sacro.
17 Itaque tellus hians, Dathanem devoravit, Abiramique gregem obruit:
18 et incenso in eorum coetum igne, impios flamma combussit.
19 Praeterea fecere vitulum in Horebo, conflatumque venerati sunt,
20 gloriam suam permutantes cum herbivori bovis imagine:
21 obliti sui conservatoris Dei, qui tam magna in Aegypto,
22 tam mira in terra Chamea, tam horrenda ad mare rubrum fecerat.
23 Itaque statuerat eos extinguere, nisi Moses eius electus eum interpellasset in illa
strage, ut eius saevitiam ab illorum internecione retraheret.
24 At illi tam elegantem terram aspernati sunt, eius dictis non credentes:
25 et in suis murmurantes tabernaculis, Iovae dicto audientes non fuere.
26 Ergo ille manum illis attulit, eos per sylvas sternendo:
27 eorumque progeniem per gentes deiiciendo, et eos dispergendo per terras.
28 Itemque cum Baale Phegore copulati, mortuales polluxere victimas:
29 quibus eorum moribus irritato Deo, grassata in eos clades est.
30 Cum quidem extitit Phinees, ad cuius preces cohibita clades est:
31 id quod ei iustitiae datum est, in omnem seculorum perennitatem.
32 Adhaec ei ad aquam iurgii moverunt iram, adeo ut Mosi nocuerit eorum culpa.
33 Nam per eos offensus animo, perperam verba fecit.
34 Non delevere nationes, quas eis Iova iusserat: sed cum caeteris permixti gentibus,
earum et facta didicerunt,
35 et statuas coluerunt, quae eis fuere detrimento, suosque filios et filias sacrificarunt
cacodaemonibus:
36 atque ita insontem fudere sanguinem, videlicet liberum suorum, quos Chananaeorum
immolavere statuis, quo sanguine incestata terra est.
37 Adeo suis factis polluti, et moribus meretricati sunt, ut iratus suo populo Iova, suam
abhorruerit haereditatem,
38 et illos gentibus in potestatem traditos, inimicorum imperio subiecerit:
39 a quibus hostibus vexati sunt, et sub eorum ditionem subiuncti.
40 Ille eos saepenumero liberavit, cum ipsi suo consilio ei adversarentur, suaque culpa
attenuarentur:
41 et in adversis respexit rebus, auditis eorum querelis.
42 Memorque foederis quod ipsi cum eis intercedebat, reconciliatus est pro sua singulari

clementia:
43 et in eos misericordiam commovit omnium, apud quos erant captivi.
44 Serva nos Iova Deus noster, et ex caeteris gentibus collige, ut tuum sanctum celebremus nomen, in tuis nos laudibus iactantes.
45 Collaudetur Iova Deus Israelitarum per omnem aeternitatem, dicatque populus omnis, Amen. Haleluia.

PSALMORUM LIBER QUINTUS.

CVII. *G. Haleluia. H.*
1 Celebrate Iovam, qui bonus, qui aeterna est clementia.
2 Dicant hoc Iovae clientes, quos ille vindicat ex periculis:
3 et diversis ex terris, ex oriente, occidente, septentrione atque mari colligit.
4 Qui per sylvas et avia loca errant, oppidum quod incolatur non invenientes:
5 famelici et sitibundi, animoque anxii. Si in ea angustia Iovam invocant, ille eos liberat ex periculis.
6 Rectaque via eo deducit, ut in oppidum veniant quod habitetur.
7 Celebrent illi Iovae clementiam et miracula apud hominum genus,
8 qui satiaverit indigos, bonisque repleverit famelicos.
9 Qui in tenebris et funesta nocte sedent, miseria et ferro constricti.
10 Quoniam supremi Dei dictis et consilio contumeliose adversati sint:
11 quorum ille mentes labore domat, quique iacent indefensi,
12 si in ea angustia Iovam invocant, ille eos asserit ex periculis:
13 eos ex tenebris et funesta nocte eripit, abruptis eorum vinculis.
14 Celebrent illi Iovae clementiam, et miracula apud hominum genus:
15 qui ostia perruperit aerea, ferreaque claustra perfregerit.
16 Vesani, qui propter peccandi consuetudinem, propterque sua vitia torquentur:
17 qui animo cibum omnem abhorrentes, ad lethi portas appellunt:
18 si in ea angustia Iovam invocant, ille eos asserit ex periculis,
19 suoque iussu sanandos curat, et ab interitu liberandos.
20 Celebrent illi Iovae clementiam, et miracula apud hominum genus,
21 faciantque grati animi sacrificia, eius opera cum cantu narrantes.
22 Qui navibus in mare descendunt, negotia in vastis exercentes aquis:
23 ii Iovae facta et miracula vident in profundo.
24 Nam ille suo iussu ventum excitat tempestuosum, quo fluctus maris attollente,
25 ascendunt in coelum, descendunt in gurgites, animis in tanto malo fathiscentibus.
26 Vacillant et titubant ebriorum more, absumpta omni eorum peritia.
27 Quod si in ea angustia Iovam invocant, ille eos eripit ex periculis,
28 tempestatem tranquillans, illosque fluctus sedans:
29 qua illi tranquillitate laeti, ab eo in optatum ducuntur portum.
30 Celebrent illi Iovae clementiam et miracula apud hominum genus,
31 eum in hominum coetu extollentes, et in senum consessu collaudantes.
32 Qui fluvios in sylvam, aquarum scatebras in loca siticulosa,
33 terram fertilem in salsam redigit, ob scelus incolarum.
34 Qui solitudinem reddit aqua stagnantem, aridumque solum lymphis scatens,
35 ibique famelicos collocat, qui habitandum condant oppidum,

36 agros conserant, vineas pangant fructuosum edituras proventum.
37 Atque eos ille multum foecundans auget, nec minus eorum pecus,
38 cum oppressi malorum necessitate et moerore, fuissent diminuti.
39 Aspergit contemptu primates, eosque per devia sentaque loca errare facit.
40 Pauperes autem a calamitate protegit, efficiens quasi ovium gentilitates.
41 Id quod videntes probi laetantur, cum omnis improbitas obmutescat.
42 Qui sapiet, haec observabit, et intelliget beneficia Iovae.

CVIII. 1 *Musica cantio Davidis.*
2 Composito sum animo Deus ad canendum, atque cantandum.
3 Age mea gloria: expergiscere nablum et cithara, expergiscar primo mane.
4 Celebrabo te apud nationes Iova, te apud populos cantabo:
5 cuius clementiae magnitudo coelos exuperat, cuius fides attingit aethera.
6 Evehere supra coelos Deus, cuius gloria toto patet orbe terrarum.
7 Ut evadant tui dilecti, conserva nos ista dextera, mihi exoratus.
8 Promittit Deus in suo fano, quae laeter: dividam Sichemam, vallemque Sochotha
dimetiar.
9 Meus est Galaadus, meus Manasses, et Ephraimus mei capitis firmamentum.
10 Iudas meum est imperium: Moabus meae lebes lotionis: ad Idumum iaciam meum
calciamentum: in Palaestinam adoream sonabo.
11 Quis me ad urbem sistet munitam? quis me perducet ad ldumaeum?
12 cum tu nos Deus reieceris, neque cum nostris proficiscare copiis.
13 Fer nobis auxilium contra periculum, quando vana est humana defensio.
14 Per Deum fortia patrabimus, eo nostros proterente perduelles.

CIX. 1 *Praecinenda cantio Davidis.*
2 O Deus mea laus, ne dissimula. Nam impium perfidumque os in me aperitur: adversum
me loquitur lingua mendax:
3 verbis circumsessus inimicis, oppugnor immerito.
4 Pro amore meo infestor, idque comprecatione usus:
5 maloque pro bono, et odio pro meo amore afficior.
6 Praefice ei impium, eique Satan ad dexteram astet.
7 Cum iudicabitur, abeat damnatus, eiusque preces ei sint crimini.
8 Sit eius aetas brevis, eius munus excipiat alius.
9 Sint eius nati pupilli, et uxor vidua:
10 errantesque mendicent eius liberi, indigentes, utpote derelicti.
11 Irretiat creditor omnes eius facultates, eiusque labore parta diripiant alieni.
12 Ne sit qui eum benignitate prosequatur, ne sit qui eius pupillorum miserescat.
13 Sit eius exitus excidium, in posterum deleto illorum nomine.
14 Recolatur eius parentum culpa apud Iovam: nec eius matris crimen oblitteretur.
15 Illosque semper habens propositos Iova, extirpet ex terris eorum memoriam.
16 Quandoquidem exercendae beneficentiae immemor, hominem inopem, pauperem,
animoque aegrum persequitur ad necem.
17 Et postquam infelicitatem amat, ea contingat ei: postquam felicitate non delectatur,
facessat ab eo.
18 Vestiatur infelicitatis amictu, quae ut aqua in eius viscera, ut oleum in artus penetret:

19 quae sit ei pro vestis amictu, proque cinctu iugiter cingendo.
20 Haec merces a Iova meis adversariis eveniat, meaeque vitae perniciem cogitantibus.
21 Tu vero Iova Domine transige meum negotium propter tuum nomen: pro tuae beneficentiae bonitate libera me.
22 Nam inops et pauper ego sum, cor in pectore saucium habens.
23 Ut inclinans umbra discedo, locustarum more stridens.
24 Genua mihi labant prae inedia, meo corpore defectu pinguetudinis tabente.
25 Sumque illis probro, qui me spectantes motu capitis derident.
26 Succurre mihi Iova mi Deus, conserva me pro tua clementia:
27 Ut sciatur hoc opus esse tuum, hoc te Iova fecisse.
28 Detestentur illi, tu faveas: eisque turpiter confutatis, tuus ego gaudeam.
29 Vestiantur adversarii mei ignominia, suaeque turpitudinis pallio induantur.
30 Agam Iovae gratias ingentes hoc ore, et eum in frequenti corona laudabo:
31 qui pauperi dexter astiterit, eum ab eius vitae condemnatoribus defendens.

CX. 1 *Davidis cantio.*
Ait Iova Domino meo: sede ad meam dexteram, donec tuos hostes effecero scabellum pedum tuorum.
2 Sceptrum tuae potentiae mittet ex Sione Iova, ad dominandum inter hostes tuos.
3 Tuae copiae voluntariae erunt, qua die expeditionem cum sacra maiestate facies,
4 ex utero aurorae habebis rorem tuae iuventutis.
5 Iurat Iova, non mutaturus sententiam, te sacerdotem esse in aeternum, ad rationem Melchisedeci.
6 Dominus tibi dexter, tum cum irascetur, reges obtruncabit.
7 Ulciscetur gentes cum vasta strage corporum:
8 caput obtruncabit, quod amplae terrae praeest, ita ut ex torrente bibat in via, atque ideo, caput attollat.

CXI. 1 *Haleluia.*
Celebrabo Iovam toto corde in proborum consilio, atque coetu.
2 Magna sunt facta Iovae, stupenda quibuscunque placent.
3 Eius et opus autoritatis et maiestatis est, et iustitia stat in aeternum.
4 Famam sibi suis comparavit miraculis, exorabilis et misericors Iova.
5 Praedam dedit sui metuentibus, memor semper suae pactionis.
6 Factorum suorum vim suis ostendit, dum eis gentium possessionem dedit.
7 Eius manuum opera vera atque aequa sunt, fida sunt eius omnia mandata,
8 fixa ad perpetuitatem, in fide et aequitate constituta.
9 Redimendos curavit suos: sanxit in aeternum suum foedus, sanctum et terribile nomen habens.
10 Sapientiae caput est Iovae metus: recte sapiunt, haec quicunque praestant, quorum laus aeterna manet.

CXII. 1 *Haleluia.*
Beatus homo qui Iovam reverens, eius praeceptis multum delectatur.
2 Potens in terris erit eius progenies: genus proborum fortunabitur.
3 In eius domo erunt opes et divitiae, eius liberalitate in perpetuum manente.

4 Probis lux oritur in tenebris, qui mansueti, misericordes et liberales sunt.
5 Vir bonus miseretur et commodat, sua verba iudicio temperans.
6 Nunquam enim commovetur, estque benefici hominis aeterna memoria.
7 Malorum auditu non terretur, tutum animum habens Iovae fiducia.
8 Adeo fixo animo est, ut nihil formidet, quin visurus sit hostium suorum poenas.
9 Dispergit largiens pauperibus, durat semper eius liberalitas, eiusque cornu extolletur gloriose.
10 Id quod videntes impii, sic aegre ferent, ut dentibus frendentes contabescant, eorumque cupiditas peribit.

CXIII. 1 *Haleluia.*
Laudate Iovae cultores, laudate Iovae nomen.
2 Commendetur Iovae nomen deinceps in perpetuum.
3 Ab ortu solis ad occasum laudabile Iovae nomen est.
4 Excellit gentes omnes Iova, gloria coelesti.
Quis est Iovae Deo nostro conferendus? qui alta incolens,
5 humilia videt, coelos incolens videt terras.
6 Qui tenuem excitat ex pulvere, pauperem allevat ex fimo:
7 eum inter praecipuos collocans, inter praecipuos suorum.
8 Sterili familiam conciliat, liberos quibus mater gaudeat. Haleluia.

CXIIII. *G. Haleluia. H.*
1 Cum Israelitae ex Aegypto, cum Iacobea domus emigraret ex populo barbaro,
2 Iudaei Israelitae Deo fuere sanctitati atque potestati.
3 Quo viso mare fugit, et Iordanis retrocessit.
4 Montes arietum, colles ove natorum ritu exiliuerunt.
5 Quid tibi acciderat mare, ut fugeres? quid Iordanis, ut retrocederes?
6 Quid montes, ut arietum, quid colle,s ut ove natorum ritu exiliretis?
7 Ad Domini praesentiam contremisce tellus, ad Dei Iacobeorum praesentiam:
8 qui petram in aquae stagnum, cautem in aquae fontem convertit.

CXV. 1 Ne nobis Iova, ne nobis, sed tuo nomini gloriam tribue, ob tuam benignitatem atque fidem.
2 Ne quaerant gentiles, ubinam sit Deus noster:
cum sit Deus noster in coelis, quicquid ei libet faciens.
3 Illorum simulacra argentum aurumque sunt, humanarum opus manuum.
4 Os habent, neque loquuntur: oculos habent, neque vident.
5 Aures habent, nec audiunt: nares habent, nec olfaciunt.
6 Manus habent, neque tangunt: pedes habent, nec ambulant: nihil suo gutture sonant.
7 Tales erunt qui ea faciunt, quicunque fidunt eis.
8 Vos Israelitae confidite Iovae, quorum ille praesidium et propugnaculum est.
9 Vos domus Aharonis confidite Iovae, quorum ille praesidium et propugnaculum est.
10 Vos Iovae reverentes confidite Iovae, quorum ille praesidium et propugnaculum est.
11 Iova nostri memor fortunabit, fortunabit Israelis domum, fortunabit Aharonis domum,
12 fortunabit Iovae reverentes, parvos iuxta atque magnos.
13 Amplificabit Iova vos, vos, vestrosque natos.

14 Favorabiles eritis Iovae coeli terraeque creatori.
15 Qui coelum, qui Iova coelum habens, terram dedit hominum generi.
16 Quem Iovam non mortui, non ulli ad silentium degressi collaudabunt.
17 Sed nos Iovam commendabimus, deinceps in sempiternum. Haleluia.

CXVI. *G. Haleluia. H.*
1 Amo Iovam, qui meam supplicem vocem exaudiverit:
2 quoniamque mihi aurem praebuit, ideo eum per omnem vitam invocabo.
3 Cum me mortis lora circundarent, et Stygiae invasissent angustiae: cum in periculum et sollicitudinem incidissem:
4 Iovae nomen invocavi: obsecro Iova libera hanc animam.
5 Exorabilis, iustusque Iova, Deus noster misericors,
6 custos Iova simplicium, me conservavit afflictum.
7 Redi anima mea ad tuam quietem, postquam tibi Iova benefecit:
8 qui et animam meam a morte, et oculos a lacrymis, et pedes a casu liberavit,
9 ita ut verser apud Iovam in vivorum terris.
10 Equidem credidi, ideoque locutus sum, cum tantopere vexarer:
11 atque in hac trepidatione dixi, omnem hominem esse fallacem.
12 Quid Iovae rependam pro tot eius adversum me meritis?
13 Poculum sumam salutis, Iovae nomen invocans.
14 Iovae mea vota solvam, idque eius omni populo praesente:
15 Qui Iova suorum mortem piorum tanti ducat.
16 Euge Iova: nam ego servus tuus, ego servus tuus sum, ancillae tuae filius, qui mea rupisti vincula.
17 Tibi sacrificium animi grati faciam, Iovae nomen invocans.
18 Iovae mea vota solvam, idque eius omni populo praesente,
19 in atriis templi Iovae, in medio tui Hierosolyma. Haleluia.

CXVII. *G. Haleluia. H.*
1 Laudate Iovam gentes omnes, hunc celebrate nationes omnes:
2 cuius Iovae et clementia erga nos excellit, et fides aeterna est. Haleluia.

CXVIII. *G. Haleluia. H.*
1 Celebrate Iovam qui bonus, qui aeterna clementia est.
2 Dicant Israelitae eius aeternam clementiam.
3 Dicat Aharonis domus eius aeternam clementiam.
4 Dicant Iovae reverentes, eius aeternam clementiam.
5 Iovam in periculis invocavi, Iova me exoratus explicuit.
6 Iovam habens non metuo ne quid mihi faciant homines.
7 Iovam habens defensorem, visurus sum inimicorum meorum poenas.
8 Iovae praestat fidere, quam homini.
9 Iovae praestat fidere, quam primatibus.
10 Omne genus gentes me obsederant, quas tamen Iovae nomine excidi.
11 Obsederant me etiam atque etiam, quas tamen Iovae nomine excidi.
12 Obsederant me apum more, quas tamen quasi spinarum ignem extinctas Iovae nomine excidi.

13 Tu me quidem impuleras ad cadendum, sed mihi Iova succurrit.
14 Iova mea potentia atque cantus, mihi saluti fuit.
15 Ergo victoriae cantu bonorum domus personant: Iovae dextera fortiter facit.
16 Iovae dextera excellens, Iovae dextera fortiter facit.
17 Non moriar, sed vivens Iovae facta narrabo.
18 Castigavit me quidem Iova, sed neci non dedidit.
19 Aperite mihi iustitiae portas, ut per eas ingrediar ad agendas Iovae gratias.
20 Haec Iovae porta est, qua boni ingrediuntur.
21 Gratias ago tibi, qui mihi exoratus salutem attuleris.
22 Lapis ab aedificatoribus improbatus, adhibitus est ad caput anguli.
23 A Iova profectum est hoc, quod nobis mirum videtur.
24 Hanc diem Iova fecit, in qua laetemur exultantes.
25 Eia Iova, serva age: eia Iova, fave age.
26 Bene sit ei qui venit in Iovae nomine: fausta vobis ominamur, o Iovae domestici.
27 Deus Iova nobis illucet: alligate festam hostiam restibus ad arae cornua.
28 Tibi mi Deus ago gratias: te mi Deus extollo.
29 Celebrate Iovam, qui bonus, qui aeterna clementia est.

CXIX. *G. Haleluia. H.*
Aleph.
1 Beati qui bene morati ex Iovae lege vivunt.
2 Beati qui eius obeunt oracula, toto corde studentes ei.
3 Qui sane nihil iniquum agentes, vivunt ad eius normam.
4 Tu sane instituta tradidisti diligenter servanda.
5 Utinam moribus sim ad servanda tua decreta comparatis.
6 Ita demum non frustra ero, si omnia tua praecepta spectabo.
7 Agam tibi sincera mente gratias, cum tuas iustas sententias didicero.
8 Tua decreta servabo: ne me desere omnino.
Beth.
9 Quanam re purget adolescens suos mores? exequendis tuis verbis.
10 Tibi toto corde studeo, ne me a tuis avoca praeceptis.
11 In mente mea habeo recondita tua dicta, ne quid in te peccem.
12 Tu laudande Iova, doce me tua decreta.
13 His ego labiis enumero omnes oris tui sententias.
14 Oraculorum tuorum ratione perinde oblector, ac summa opulentia.
15 Tua mandata meditor, intuens in tua instituta.
16 Tuis decretis oblecto me, tuorum dictorum haud immemor.
Gimel.
17 Affice me tuum vitae beneficio, et tua dicta exequar.
18 Revela meos oculos, ut videam tuae legis miracula.
19 Peregrinus in terris ego sum: ne mihi subtrahe tua praecepta.
20 Mihi languet animus perenni tuarum sententiarum cupiditate.
21 Detestabiles obiurgas superbos, a tuis praeceptis deerrantes.
22 Avolve a me probrum atque contemptum, qui oracula tua obeo.
23 Quamvis contra me deliberantes sedeant principes, tamen tuus ego tua decreta meditor.

24 Tamen oracula tua, meae deliciae, mihi sunt pro consiliariis.
Daleth.
25 Humi prostrata est anima mea: conserva mihi vitam ex tuis promissis.
26 Mores meos expono, ut tu exorere mihi: doce me tua decreta.
27 In tuorum mandatorum ratione instrue me, et tua meditabor miracula.
28 Mihi perfluit animus prae anxietate: erige me ut ferunt tua promissa.
29 Falsam viam a me remove, et mihi per gratiam largire tuam legem.
30 Viam veritatis elegi, tuas mihi sententias proponens.
31 Adhaereo tuis oraculis Iova, ne me frustra habueris.
32 Viam praeceptorum tuorum curram, cum mihi mentem explicueris.
He.
33 Institue me Iova in ratione tuorum decretorum: et ea prorsus exequar.
34 Erudi me in exequenda tua lege: et eam obibo toto corde.
35 Dirige me per iter praeceptorum tuorum: nam id mihi placet.
36 Effice mihi mentem propensam ad tua oracula, non ad avaritiam.
37 Averte meos oculos ab intuenda nequitia, vitam mihi in tuo conservans instituto.
38 Praesta mihi tuo promissa tua, qui te revereor.
39 Aufer meum dedecus, quod exhorreo: nam tuae sententiae bonae sunt.
40 Cum sim tuorum mandatorum cupidus, conserva mihi vitam pro tua iustitia.
Vau.
41 Mihique tua contingant beneficia Iova, tua defensio, ut fert tuum promissum.
42 Et dabo meo conviciatori responsum, tua fretus oratione.
43 Neve mihi prorsus ex ore eripias verum verbum, qui a tuis sententiis pendeam.
44 Et tuam legem exequar iugiter in omnem perpetuitatem.
45 Atque ita expeditus incedam, quod tuis studeam mandatis.
46 Neque me de tuis apud reges oraculis loqui pudebit.
47 Meque tuis oblectabo praeceptis, quae amo.
48 Attollamque manus ad tua praecepta mihi dilecta, et tua decreta meditabor.
Zain.
49 Memento quid mihi tuo promiseris, quo mihi spem fecisti.
50 Quae quidem mea consolatio est in mea miseria, tuo promisso me conservante.
51 Arrogantes mihi magnopere illudunt, neque tamen a lege tua deflecto.
52 Memor tuarum sempiternarum Iova sententiarum, me consolor.
53 Horrore corripior ob impios tuae legis desertores.
54 Cantilenae mihi sunt tua decreta in peregrinationis meae domicilio.
55 Recolo noctu nomen tuum Iova, tuamque legem obeo.
56 Hoc teneo, ut tua mandata exequar.
Heth.
57 Tu mihi conditio es, Iova, cuius dictis parere statui.
58 Te coram oro toto corde, miserere mei ut promisisti.
59 Recogito meos mores, meosque pedes ad oracula tua converto.
60 Festino sine cunctatione ad obeunda tua praecepta.
61 Impiorum lora me implicant, non tamen legis oblitum tuae.
62 De media nocte surgo ad te celebrandum, ob tuas iustas sententias.
63 Coniungo me cum omnibus tuis reverentibus, tuaque mandata exequentibus.
64 Benignitate tua Iova plenus est orbis terrarum: doce me tua decreta.

Teth.
65 Benefacis mihi tuo cultori Iova, ex tuo promisso.
66 Bonum sensum et scientiam doce me, qui tuis praeceptis fidem habeo.
67 Priusquam vexarer, errabam: nunc tuis dictis pareo.
68 Tu bonus et beneficus, doce me tua decreta.
69 Connectunt contra me mendacium arrogantes, tua mandata toto corde obeuntem.
70 Illorum cor quasi obesitate obtusum est, cum ego me tua lege oblectem.
71 Mihi vexari conducit, ut tua decreta discam.
72 Mihi utilior est oris tui disciplina, quam aureorum, argenteorumque millia.
Iod.
73 Manus tuae me fecerunt atque condiderunt: erudi me ut discam tua praecepta.
74 Tui reverentes me viso laetabuntur, qui in tuo spem habeam promisso.
75 Scio Iova, aequas esse tuas sententias: meque vere a te premi.
76 Sit mihi quaeso tua clementia solatio, ut tu mihi tuo pollicitus es.
77 Contingat mihi misericordia, ut vivam: nam tua lex meae sunt deliciae.
78 Pudeat superbos, qui mihi exitium falso machinantur: ego tua mandata meditabor.
79 Concilientur mihi, qui te verentur: tuaque norunt oracula.
80 Sit mea mens in tuis integra decretis, ne me pudeat.
Caph.
81 Animus mihi languet expectatione tuae defensionis, in tuo promisso spem habenti.
82 Oculi mihi languent expectatione tui promissi, cogitanti ecquando sis me consolaturus.
83 Sum enim ut uter in fumario, haud immemor tamen tuorum decretorum.
84 Quodnam mihi tuo spacium statuitur? ecquando de meis infestis sumes supplicium?
85 Cavant mihi superbi scrobes, non sane ex tua lege.
86 Omnia tua praecepta vera sunt: succurre mihi, quem illi insectantur iniuria.
87 Fere me humi conficiunt, neque tamen tua mandata desero.
88 Pro tua clementia conserva me, et oris tui oraculo parebo.
Lamed.
89 In aeternum Iova tuum verbum permanet in coelis.
90 Sempiterna praeditus es veritate, qui staturam terram condidisti.
91 Quae quidem ex tua sententia stant hodie: nam omnia tibi serviunt.
92 Nisi tua mihi lex esset in deliciis, equidem in mea perirem inopia.
93 Nunquam tuorum mandatorum obliviscar: nam per ea mihi vitam tueris.
94 Tuus sum, serva me qui tuis studeo mandatis.
95 Imminent impii meo exitio, qui tua oracula perpendo.
96 Omnium interiturarum rerum finem video: tuum praeceptum perquam late patet.
Mem.
97 Adeo tuam legem amo, ut haec sit mea quotidiana meditatio.
98 Sapientiorem me, quam sunt hostes mei, reddit tua disciplina, quam perpetuo habeo.
99 Plus sapio quam mei doctores universi, quod oracula tua mea sunt meditatio.
100 Senes intelligentia supero, quod tua mandata teneo.
101 Ab omni via mala contineo meos pedes, ut tuis dictis paream.
102 De tuis sententiis non deflecto, quod tu me erudias.
103 Multo sunt verba tua meo palato et ori melle dulciora.
104 A tuis mandatis disco, ideoque omnes falsos mores odi.
Nun.

105 Lucerna meo pedi sunt tua dicta, meoque lux itineri.
106 Iuravi (id quod praestabo) me servaturum esse tua iusta iura.
107 Crucior vehementer Iova, medere mihi ut fert tua promissio.
108 Mei oris liberalitatem gratam habe Iova, et me tuas sententias doce.
109 Versor in perpetuo vitae discrimine, neque tuae legis obliviscor.
110 Mihi laqueum obtendunt impii, neque tamen ex tuis mandatis aberro.
111 Possideo oracula tua perpetuo, quae sunt mei cordis gaudia.
112 Animum ad obeunda tua decreta applico, in perpetuum prorsus.
Samech.
113 Male cogitantes odi, et tuam legem amo.
114 Tu mihi latebra et propugnaculum es, a cuius verbis pendeo.
115 Facessite a me improbi, ut exequar Dei mei praecepta.
116 Sustine me oratione tua, ut vivam: neve meam expectationem frustrato.
117 Fulci me ut conserver, et tuis decretis semper oblectabor.
118 Conculcas omnes a tuis recedentes decretis, quorum fallax sit calliditas.
119 Ut scoriam deles omnes terrarum impios, ideo tua amo decreta.
120 Horret mihi corpus tui pavore, tuas reformidanti sententias.
Ain.
121 Ius aequumque facio, ne me permitte meis oppressoribus.
122 Accommoda me tuum cultorem ad bonum, ne mihi superbi faciant iniuriam.
123 Oculi mihi languent expectatione tuae defensionis, iustaeque promissionis.
124 Tracta me tuum, ut tua fert clementia, meque tua decreta doce.
125 Tuus ego sum, erudi me ut sciam tua oracula.
126 Tibi Iova agendi tempus est, cum tua lex violatur.
127 Itaque tua praecepta plus quam aurum et obrizum amo.
128 Itaque tuis omnibus mandatis prorsum recte utens, omnem falsam consuetudinem odi.
Pe.
129 Mira sunt oracula tua: ideo ea animo teneo.
130 Rudimenta tuorum dictorum rudes collustrant, et erudiunt.
131 Quae quidem hianti ore haurio: tantopere tua amo praecepta.
132 Respice me, et miserere mei, pro tua erga tui nominis amantes aequitate.
133 Vestigia mea in tuis dictis constabili, ne ullum dominetur in me maleficium.
134 Vindica me ab hominum iniuriis, et tuis parebo mandatis.
135 Illustra tuum me tuo vultu, et tua me decreta doce.
136 Rivis aquae manant oculi mei: quoniam non servatur tua lex.
Zade.
137 Iustus es Iova, rectaeque sunt tuae sententiae.
138 Oracula tradidisti aequissima, atque verissima.
139 Conficior indignatione, quod hostes mei tuorum dictorum sint immemores.
140 Probatissima est oratio tua, quam tuus ego diligo.
141 Parvus ego et contemptus, tua mandata non oblitus sum.
142 Iustitia tua, iustitia est sempiterna, tuaque lex vera.
143 In adversis periculisque deprehensus, habeo tua praecepta in deliciis.
144 Tuorum aequitas oraculorum aeterna est: erudi me, et vivam.
Coph.

145 Toto corde invoco: exaudi me Iova, et tua tenebo decreta.
146 Te invoco, serva me: et tuis oraculis parebo.
147 Diluculum querelis praeverto, a tuis dictis pendens.
148 Oculis vigilias anticipo, tuis dictis meditandis.
149 Vocem meam exaudi pro tua clementia Iova, pro tua aequitate vitam mihi custodi.
150 Adsunt persequentes flagitia, a lege tua remoti.
151 Ades tu Iova, cuius omnia praecepta vera sunt.
152 Iamdiu de tuis oraculis hoc scio, te ea in perpetuum fundasse.
Res.
153 Vide meam miseriam, et me libera: qui tuae legis oblitus non sum.
154 Age meam causam, meque assere, et ex tua promissione conserva.
155 Abest salus ab impiis, quoniam tuis decretis non student.
156 Multa praeditus es misericordia Iova, conserva me pro tua aequitate.
157 Multi sunt qui me insectantur, mihique adversantur: neque tamen a tuis oraculis deflecto.
158 Videns perfidos crucior, quod tuis dictis non parent.
159 Considera me tua mandata amare Iova: pro tua clementia conserva me.
160 Tuorum dictorum caput est veritas, suntque tuae omnes iustae sententiae sempiternae.
Sin.
161 Me principes insectantur immerito, qui mente tua dicta formido.
162 Laetor ego tuis verbis, perinde ac qui multam nactus est praedam.
163 Falsa odi atque detestor, amans tuam legem.
164 Septies quotidie te laudo, ob tuas iustas sententias.
165 Multa pax est tuae legis amatoribus, nec est eis impedimentum.
166 Intueor tuam tutelam Iova, tuaque praecepta exequor.
167 Animo tua oracula teneo, ea multum amans.
168 Servo tua mandata atque oracula: nam mei mores omnes tibi sunt expositi.
Thau.
169 Accedat in tuum conspectum oratio mea, Iova: ex tuo promisso erudi me.
170 Veniat in tuum conspectum mea supplicatio: defende me ut pollicitus es.
171 Fundent mea labra laudem, quod tua me decreta docueris.
172 Eloquetur lingua mea tua dicta, cuius omnia praecepta iusta sunt.
173 Sit mihi tua manus auxilio, qui tua mandata elegi.
174 Cupidus sum tuae defensionis Iova, tuaque lex meae sunt deliciae.
175 Vivat haec anima ut te laudet, tuaeque sententiae me iuvent.
176 Erro velut ovis perdita, quaere me tuum, qui tuorum praeceptorum memoriam non deposui.

CXX. 1 *Carmen gradarium.*
Cum Iovam rebus in adversis invoco, exaudit me.
2 Iova libera hanc animam a falsis labiis, a lingua perfida.
3 Quid tibi dabit, aut quid addet tibi lingua fraudulenta,
4 sagittae militares acutae, carbonesque iuniperini?
5 Hei mihi qui tamdiu peregriner, habitans cum Cedarianis tabernaculis.

6 Ego diutius habito cum pacis osoribus,
7 qui me pacis mentionem faciente, ad bellum inclinant.

CXXI. 1 *Carmen gradarium.*
Attollo oculos in montes, unde mihi venit auxilium.
2 Auxilium meum a Iova est, coeli terraeque creatore.
3 Non sinet tuos labefieri pedes, non dormitabit custos tuus.
4 Scito non dormitaturum, neque dormiturum custodem Israelitarum.
5 Iova tuus custos, Iova umbra tua, tibi dexter adest.
6 Te neque sol interdiu, neque luna noctu feriet.
7 Iova te ab omni malo, Iova tuam animam tuebitur.
8 Iova te et euntem et redeuntem tuebitur, deinceps in sempiternum.

CXXII. 1 *Carmen gradarium Davidis.*
Delector eis qui me sic adhortantur: Eamus in Iovae domum.
2 Astant nostri pedes in tuis portis Hierosolyma.
3 Hierosolyma extructa ut urbs sibi simul coniuncta.
4 Quo quidem tribus ascendunt, tribus Iovae, ex edito Israelitis oraculo, ad Iovae nomen celebrandum.
5 Illic enim sita sunt tribunalia iudicialia, tribunalia domus Davidis.
6 Orate pacem tuam Hierosolyma, cuius amatores sospites sint.
7 Sit pax in tuo propugnaculo, felicitas in tuis palatiis.
8 Propter fratres cognatosque meos tuae paci consulam.
9 Propter domum Iovae Dei nostri tuo bono studebo.

CXXIII. 1 *Carmen gradarium, Davidis.*
Ad te oculos attollo, o coelicola.
2 Et quidem ut servorum oculi dominorum manum, ut ancillae oculi herae manum: sic nostri Iovam Deum nostrum intuentur, dum misereatur nostri.
3 Miserere nostri, Iova, miserere nostri qui multo sumus contemptu saturi:
4 quorum animi multa sunt opulentorum derisione, fastuosorum contemptu saturi.

CXXIIII. 1 *Carmen gradarium.*
2 Nisi Iova nobis adfuisset (dicant Israelitae) nisi Iova nobis adfuisset, cum in nos consurgerent homines:
3 iam pridem nos vivos devorassent, cum in nos arderent ira.
4 Iam pridem nos aquae inundassent, obrutos torrente:
5 iam pridem nos impotentes obruissent aquae.
6 Agimus Iovae gratias, qui nos non passus sit praedam esse dentibus illorum.
7 Vita nostra sicut avicula evasit aucupum laqueum: rupto laqueo nos evasimus.
8 Nobis auxilium est in Iovae nomine, coeli terraeque creatoris.

CXXV. 1 *Carmen gradarium.*
Qui Iovae confidunt, similes sunt Sionis monti, qui perpetuo manet immobilis.
2 Et montes Hierosolymam, et Iova suum populum circundat hinc in sempiternum.
3 Non enim residebit impietatis sceptrum in iustorum sortem, ne iusti manus admoveant

nequitiae.
4 Benefac Iova bonis, et mente rectis.
5 Qui vero ad suas perversitates declinant, eos ducet Iova cum maleficis, salvis Israelitis.

CXXVI. 1 *Carmen gradarium.*
Cum revocaret Iova Sionios captivos, videbamur nobis somniare.
2 Tunc et ora nostra risu, et linguae cantu plenae erant:
3 tunc dictitabatur inter gentes: Iova his magna praestitit.
4 Iova nobis magna praestiterat, id quod laetabamur.
5 Revoca Iova nostros captivos, amnium ritu meridianorum.
6 Qui serunt cum lachrymis, cum cantu messuri sunt.
7 Qui flendo it, carum semen ferens, rediturus est cum cantu, suos ferens manipulos.

CXXVII. 1 *Carmen gradarium, Solomonis.*
Nisi Iova domum instruat, frustra laborant qui eam instruunt: nisi Iova urbem custodiat, frustra vigilat custos.
2 Frustra et summo mane surgitis, et tarde residetis, victu vescentes laborioso, adeo ille dilectis suis somnum conciliat.
3 Liberorum quidem haereditas a Iova est: foetus ventris praemio datur ab eodem.
4 Quales sunt in manu viri fortis sagittae, tales sunt iuventutis nati.
5 Felices qui talibus refertas habent pharetras: non illi frustrabuntur, cum disceptabunt cum adversariis in curia.

CXXVIII. 1 *Carmen gradarium.*
Beatus est quicunque Iovam reverens, vivit ad eius normam.
2 Labore manuum tuarum si vesceris, beatus es, et bene tibi erit.
3 Uxor tua similis erit foecundae vitis, in lateribus domus tuae: liberi tui quasi olivarum plantae, circum tuam mensam.
4 Sic quidem certe fortunabitur homo Iovae metuens.
5 Sic te fortunabit Sionius Iova, ut Hierosolymae bonum videas per omnem vitam.
6 Videas et natorum tuorum natos, salvis Israelitis.

CXXIX. *Carmen gradarium.*
1 Saepe oppugnatus sum a pueritia (dicat Israelita)
2 saepe oppugnatus sum a pueritia, neque tamen expugnatus.
3 Dorsum meum araverunt aratores, longos ducentes sulcos.
4 Iova iustus abrupit impiorum lora.
5 Turpiter retro aguntur omnes Sionis osores.
6 Suntque similes herbae tectorum, quae priusquam evellatur, arescit:
7 qua neque messor manum, neque manipulator sinum implet:
8 neque dicunt viatores, Adsit vobis Iovae favor: fausta vobis precamur per Iovae nomen.

CXXX. *Carmen gradarium.*
1 Ex profundo te invoco Iova,
2 Domine audi vocem meam: praebe aures attentas meae voci supplici.
3 Si vitia observaveris, Iova Domine, quis stabit?

4 Sed est in te facilitas, ut reverendus sis.
5 Iovam spero, speranti animo eius promissum suspiciens.
6 Animo Dominum suspicio, a matutinis custodiis, ad alteras matutinas custodias.
7 Suspiciat Israelita Iovam: nam in Iova est clementia, multumque praesidii.
8 Et is Israelitam vindicaturus est ab omnibus eius vitiis.

CXXXI. 1 *Carmen gradarium Davidis.*
Iova neque animum effero, aut supercilium tollo:
2 neque maiora, aut magis ardua, quam pro me tracto.
3 Quin animum meum sic ad modestiam composui, ut est ablactatus erga matrem, quasi ablactatum habeam animum.
4 Suspice Israelita Iovam, hinc in sempiternum.

CXXXII. 1 *Carmen gradarium.*
Memento Iova Davidis, et eius tantae modestiae:
2 qui Iovae iuravit, qui sic Iacobeorum numini vovit.
3 Neque meae domus tectum subibo, neque cubicularem lectum inscendam:
4 neque meis oculis somnum, meis palpebris soporem concedam,
5 quin Iovae locum, quin Iacobidarum numini domicilium invenero.
6 Ecce autem id Ephratae audivimus, id in sylvestribus agris invenimus.
7 Intremus in eius domicilium, veneremur eius pedum scamnum.
8 Surge Iova in tuam requietem, tuque tuaeque arca potentiae.
9 Tui sacerdotes iustitia vestiantur, tuique pii ovent.
10 Propter Davidem tuum ne aversare uncti tui animam.
11 Iuravit Iova Davidi, fidem non revocaturus:
12 ex ventris tui foetu imponam tuo solio.
13 Quod si servaverint tui nati meum foedus, et oracula quae eos docuero, eorum quoque nati in perpetuum sedebunt in tuo solio.
14 Delegit enim Iova Sionem, eam sibi sedem optans.
15 Haec est mea sempiterna requies, quam mihi habitandam concupivi.
16 Cuius et annonam foecundabo, et pauperes saturabo victu:
17 et sacerdotes salute vestiam, et pii ovabunt.
18 Ibi germinare faciam cornu Davidis, lucernam uncto meo componens.
19 Eius hostes pudore circumfundam, cum interea suum in eo diadema florebit.

CXXXIII. 1 *Carmen gradarium Davidis.*
O quam suave, quamque iucundum est, habitare fratres simul.
2 Ut bonum unguentum quod ex capite in barbam, barbam inquam Aharonis, et vestimentorum oram defluit.
3 Ut ros Hermonius, qui defluit in montes Sionis, ubi Iova semper duraturam conciliat abundantiam bonorum.

CXXXIIII. 1 *Camen gradarium.*
O collaudate Iovam, omnes Iovae cultores, qui noctu manetis in Iovae domo.
2 Attollite manus ad sanctuarium, Iovam collaudantes.
3 Faveat tibi Sionius Iova, coeli terraeque conditor.

CXXXV. 1 *Haleluia.*
Laudate Iovae nomen, laudate o Iovae cultores,
2 qui degitis in Iovae domo, in atriis domus Dei nostri.
3 Laudate Iovam, qui tam bonus sit, cantate Iovae suave nomen.
4 Nam Iacobeos Iova, Israelitas sibi delegit in peculium.
5 Scio enim Iovam: dominumque nostrum omnium esse maximum deorum.
6 Quicquid ei libet facit Iova in coelis et in terris, in aquis et undis omnibus.
7 Nebulas excit ab ultimis terris: fulgura per pluviam facit: ex suis ventos cellis excitat.
8 Qui occidit Aegypti primogenita, tum hominum, tum pecorum,
9 missis in medio tui Aegypte ostentis, et prodigiis in Pharaonem, omnesque Pharaonicos.
10 Qui multas occidit gentes, regesque potentes interfecit:
11 Sehonem Amorraeorum, et Ogum Basanae regem, omniaque regna Chananaea:
12 et eorum terram possidendam, possidendam suis dedit Israelitis.
13 Iova tuum nomen aeternum: Iova tui memoria perennis est.
14 Patrocinatur enim suo populo Iova, sui cultoribus reconciliatus.
15 Gentium signa argentum aurumque sunt, humanarum opus manuum.
16 Os habent, neque loquuntur: oculos habent, neque vident:
17 aures habent, nec audiunt: nec est in eorum ore spiritus.
18 Tales sunt eorum autores, quicunque eis confidunt.
19 Vos domus Israelis commendate Iovam: vos domus Aharonis commendate Iovam:
20 Vos domus Levis commendate Iovam: vos Iovae reverentes commendate Iovam.
21 Commendetur Sionius Iova, habitator Hierosolymae. Haleluia.

CXXXVI. *G. Haleluia. H.*
1 Celebrate Iovam quia bonus, quia aeterna benignitate est.
2 Celebrate deorum Deum, quia aeterna benignitate est.
3 Celebrate dominorum Dominum, quia aeterna benignitate est.
4 Qui solus magna facit miracula, quia aeterna benignitate est.
5 Qui coelos prudenter fecit, quia aeterna benignitate est.
6 Qui terram super aquas extendit, quia aeterna benignitate est.
7 Qui ingentia fecit luminaria: quia aeterna benignitate est.
8 Solem ad moderationem diei, quia aeterna benignitate est.
9 Lunam et stellas ad moderationem noctis, quia aeterna benignitate est.
10 Qui Aegyptum clade affecit primogenitorum, quia aeterna benignitate est.
11 Et ex eorum medio eduxit Israelitas, quia aeterna benignitate est.
12 Forti manu porrectoque brachio, quia aeterna benignitate est.
13 Qui mare rubrum in partes diffidit, quia aeterna benignitate est.
14 Et per eius medium traiecit Israelitas, quia aeterna benignitate est.
15 Impulitque Pharaonem et eius copias in mare rubrum, quia aeterna benignitate est.
16 Qui suos per deserta loca duxit, quia aeterna benignitate est.
17 Qui magnos reges occidit, quia aeterna benignitate est.
18 Qui nobiles reges interemit, quia aeterna benignitate est.
19 Sehonem Amorraeorum regem, quia aeterna benignitate est.
20 Et Ogum Basanae regem, quia aeterna benignitate est.
21 Eorumque terram dedit possidendam, quia aeterna benignitate est.

22 Possidendam suis Israelitis, quia aeterna benignitate est.
23 Qui in humilitate nostra memor fuit nostri, quia aeterna benignitate est.
24 nosque nostris eripuit adversariis, quia aeterna benignitate est.
25 Qui victum suppeditat omnibus animalibus, quia aeterna benignitate est.
26 Celebrate coelestem Deum, quia aeterna benignitate est.

CXXXVII. *G. Davidicum per Ieremiam. H.*
1 Ad Babyloniae fluvios sedebamus, idque plorantes, cum recordaremur Sionem,
2 suspensis in ea regione citharis nostris ad salices.
3 Illic enim nostrae captivitatis et eiulationis autores carmina nos laetitiamque poscebant:
4 Canite nobis carmen aliquod Sionium.
5 Quo pacto canamus Iovanum carmen in aliena terra?
6 Quando te sumus obliti Hierosolyma, oblita est nostra dextera.
7 Adhaeret lingua nostra palato, nisi tui simus compotes, nisi Hierosolymam ad nostrae
laetitiae caput adhibeamus.
8 Reminiscere Iova Idumaeorum, qui die Hierosolymae dicebant, Evertite, evertite
funditus eam.
9 O puella Babylon devastanda, felix qui ibi tua in nos merita rependet.
10 Felix qui correptos tuos infantes saxis allidet.

CXXXVIII. 1 *Davidis G. cantio Aggaei et Zachariae. H.*
Te tota mente celebrabo, te apud divos cantabo.
2 Ad tuum sacrum fanum venerabor, tuumque celebrabo nomen, ob tuam benignitatem
atque fidem, qui promissa tua facias maiora quam est tuum tantum nomen.
3 Qui me invocantem exaudias, meam animam fortiter evehens.
4 Te Iova celebrabunt terrarum reges omnes, cum audiverint oris tui promissa:
5 canentque Iovae mores, cuius Iovae tanta sit gloria.
6 Qui Iova sublimis cum sit, humilia respiciat, excelsitatem procul perspicuam reddens.
7 Si in mediis verser periculis, tu me servabis, et hostium meorum irae manum tuam
obiiciens, ista me dextera defendes.
8 Tu Iova meam rem perages: Iova aeterna benignitate praeditus manuum tuarum facta
non omittes.

CXXXIX. 1 *Praecinenda cantio Davidis. G. Zachariae, cum essent dispersi. H.*
Iova tu me exploratum cognitumque habes.
2 Tu me sedentem surgentemque nosti, meam longe rationem perspiciens.
3 Me gradientem cubantemque cingis: omnesque meas rationes pervestigatas habes:
4 adeo ut ne prolatam quidem mea lingua sententiam tu Iova pernoscas.
5 Tu me et a tergo et a fronte formasti, mihique manum istam admovisti.
6 Cuius rei cognitio adeo difficilis est et ardua, ut eam ego consequi non possim.
7 Quonam declinem tuum spiritum? aut quo tuam fugiam praesentiam?
8 Sive coelum scandam, ibi tu es: sive in orco cubem, tu ades.
9 Sumam aurorae alas, habitem in ultimo mari:
10 etiam illic tua me manus tenebit, tuaque dextera comprehendet.
11 Quod si me certe tenebris occultandum cogitem, ipsa mihi nox lumen est.
12 Ipsae etiam tenebrae tibi non contenebrant: ipsaque nox splendet ut dies, nullo

tenebrarum lucisque discrimine.
13 Tu meos enim renes possides, qui me in meae matris utero composueris.
14 Ago tibi gratias, quod tam abstrusa ratio mirifice in me adhibita est: mirifica sunt tua facta, id quod ego animo praeclare recognosco.
15 Non te latuere mei artus, cum in abdito fierem, ingeniose contextus in ima terra.
16 Mei rudimenta vidisti tuis oculis, eaque spacio conformanda temporis, omnia, ne uno quidem excepto, erant in tuo descripta codice.
17 Vah quanti apud me sunt tuae rationes Deus? quarum tanta summa est,
18 ut cum eis numerandis invigilo, sint arena numerosiores, et adhuc tecum haeream.
19 O si evertas impios, Deus: facessite a me homines sanguinarii,
20 qui de te nefarie loquuntur, adversarii tui nequitia elati.
21 Nempe tuos osores odi Iova, tibi contrariis infensus.
22 Et quidem odio capitali odi, eos hostium numero habens.
23 Explora me Deus, meam mentem noscitans: proba me meos sensus noscitans.
24 Et vide an sim in prava vivendi via, meque in viam ducito durabilem.

CXL. 1 *Praecinenda cantio Davidis.*
2 Defende me Iova a malis hominibus, ab inhumanis hominibus me tuere.
3 Qui animis male cogitantes, quotidie bella moliuntur.
4 Acuunt suos dentes ut serpens, virus aspidis habentes sub labiis. Sela.
5 Tutare me Iova ab impiorum manibus: ab inhumanis hominibus tuere me, qui mea labefactare vestigia cogitant.
6 Abscondunt mihi laqueos atque funes superbi, tendunt secundum semitam retia: mihi ponunt offendicula. Sela.
7 Equidem Iovam meum appello Deum: ausculta Iova meae vocem supplicationis.
8 Iova Domine, meae firmamentum salutis, qui meum caput protegis, quandocunque sumenda arma sunt.
9 Noli impios, Iova, voti reddere compotes, ne si eis conata secundes, insolescant. Sela.
10 Eorum caput, qui me circumveniunt, obruat facinus, quod ipsorum labra moliuntur.
11 Opprimantur carbonibus, in ignem deturbati, in specus unde non emergant.
12 Homo linguax ne consistat in terris: inhumanus homo malo agatur in ruinam.
13 Scio Iovam inopum pauperumque litem et causam acturum esse.
14 Certe iusti tuum celebrabunt nomen, habitabunt in tuo conspectu probi.

CXLI. 1 *Cantio Davidis.*
Iova te invoco, festina ad me, ausculta vocem qua te invoco.
2 Habeantur apud te meae preces pro suffitu, et manuum extensio pro ferto vespertino.
3 Impone Iova custodiam ori meo, serva meorum labiorum ostium.
4 Non inclina meum animum ad rem malam, ut sim impiis ingenii moribus cum maleficis: neve eorum vescar deliciis.
5 Verberent me iusti, beneficii loco ducam: castigent me, id mihi pro praestantissimo erit unguento: neque solum mihi caput non laedent, verumetiam in eorum incommodis precabor,
6 ut eorum condemnatores per saxosa praecipitentur loca, ut audiant quam sit oratio mea suavis.
7 Ut sulcari proscindique terra solet, membra nostra ad orci fauces disperguntur.

8 Atqui in te Iova Domine, coniectos oculos, in te fiduciam habeo: noli vitam meam profundere.
9 Tutare me ab iniuria laquei, quem in me tendunt, et a maleficorum tendiculis.
10 Decidant simul in suos casses impii, dum interim ego transeo.

CXLII. 1 *Institutio Davidis precantis, cum in spelunca precaretur.*
2 Voce mea Iovam invoco, voce mea Iovae supplico.
3 Apud hunc orationem meam fundo, apud hunc angorem meum indico,
4 animo meo sese in me cruciante. Et tu quidem viam meam nosti: in semita qua sum iturus, abditur mihi laqueus.
5 Ad dexteram intuens, video nullum esse qui me agnoscat: periit mihi perfugium, non est qui meam vitam curet.
6 Ad te clamo Iova, te meam fiduciam, te meam appello sortem in terra viventium.
7 Attende meam querimoniam, qui tantopere sum attenuatus: defende me a meis infestis, qui sunt me potentiores.
8 Educ ex claustro hanc animam, ad tuum celebrandum nomen: stipabunt me iusti, cum tu sic de me fueris meritus.

CXLIII. 1 *Cantio Davidis, G. cum eum persequeretur Absolomus eius filius. H.*
Iova audi meas preces: ausculta meae supplicationi, pro tua fide: exaudi me pro tua iustitia.
2 Neve in ius mecum, qui tuus sum, venito: nam coram te nemo mortalium absolvetur.
3 Hostis enim hanc animam persequens, meam vitam pessundat humi: me ad tenebras redigit, in qualibus sunt perpetuo mortui.
4 Itaque aestuat mihi animus: mihi mens penitus attonita est.
5 Recolo prisca tempora: recogito tua tot opera, tuarum manuum facta contemplans.
6 Ad te manus pando, animo te suspiciens ut terra siticulosa. Sela.
7 Propera exaudire me Iova, animo deficientem: ne mihi tuum vultum abde, ut fiam quales qui descendunt in barathrum.
8 Nuncia mihi mature tuam benignitatem, qui tibi confido, ostende mihi qua via gradiar, qui ad te animum attollo.
9 Libera me a meis hostibus Iova, ad quem perfugio.
10 Doce me tuam exequi voluntatem, tu qui meus es Deus: deducat me tuus bonus spiritus per planum solum.
11 Propter nomen tuum Iova, conserva mihi vitam: pro tua iustitia eripe ex periculo hanc animam.
12 Et pro tua benignitate everte meos hostes, et omnes vitae meae adversarios perde, quoniam tuus ego sum.

CXLIIII. 1 *Davidis.*
Gratias ago Iovae meo numini, qui meas manus ad certamen, meos digitos ad pugnam docet:
2 in me beneficus, mea arx, meum propugnaculum, meus defensor, meus clypeus, cui confidam: qui meum populum mihi subiicit.
3 Iova quid est homo, ut eius habeas rationem? quid est homine natus, ut eum cures?
4 Homo perinde ac nihil est, cuius aetas velut umbra praetereat.

5 Iova inclina coelos tuos, et descende: tange montes, et fumabunt.
6 Stringe fulmen, quo eos dissipes: mitte tuas sagittas, quibus eos disturbes.
7 Porrige manus tuas ex alto: eripe et libera me ex tantis aquis, ex manu generis
alienorum: qui et os falsiloquum, et dexteram habent fallacem.
8 Deus te novo carmine canam, te decachordo cantabo nablo,
9 qui des regibus salutem, qui Davidem tuum a noxio asseras gladio.
10 Eripe et libera me ex manu generis alienorum, qui et os falsiloquum, et dexteram
habent fallacem.
11 Nam nostri quidem filii sunt crescentibus similes plantis, in pueritia: nostrae filiae
quasi angulares quaedam columnae, templi similitudine incisae.
12 Penaria nostra alte referta sunt, ab alia annona in aliam: balantes nostrae millecuplis,
decies millecuplis per vicos nostros foetibus augentur.
13 Boves habemus oneris ferentes: nulla strages, nullus abactus, nulla est in vicis nostris
eiulatio.
14 Beatus populus cum quo sic agitur: beatus populus cuius Iova Deus est.

CXLV. 1 *Davidis laudatio.*
Extollam te, mi Deus rex, tuumque nomen in perpetua commendabo secula.
2 Te quotidie commendabo, tuumque nomen in perpetua laudabo secula.
3 Adeo magnus, adeo laudabilis est Iova, eius ut sit inexplicabilis magnitudo.
4 Seculum seculo succedens tua facta praedicat, tuasque virtutes indicat.
5 Tuae gloriosae maiestatis decorem, tuaque mira facta meditabor.
6 Tuorumque arduorum potentia facinorum dicetur, narrante me tuam magnitudinem.
7 Tuae singularis bonitatis praedicabitur memoria, tuaque decantabitur iustitia.
8 Exorabilis et misericors est Iova, ad iram tardus, clementiaque magnus.
9 Bonus est omnibus Iova, et in omnia sua opera praeditus lenitate.
10 Celebrant te Iova omnia tua opera: tui te pii collaudant:
11 tui regni gloriam dicentes, tuamque virtutem eloquentes:
12 ad declarandas hominum generi tuas virtutes, tuique gloriosi maiestatem regni.
13 Regnum tuum, regnum est omnium seculorum: imperium tuum in omnem durat
aetatum seriem.
14 Iova omnes et cadentes sustinet, et lapsos allevat.
15 Omnium oculi sunt in te coniecti, eisque tu suo tempore pastum largiris,
16 apertaque manu omnia viventia optatis satias.
17 Iustus est Iova in suis omnibus institutis, benignus in suis omnibus factis.
18 Praesens adest Iova omnibus se invocantibus, omnibus qui eum fidenter invocant.
19 Voluntatem facit eorum qui eum reverentur, eosque quiritantes exaudiens conservat.
20 Tuetur Iova omnes sui amantes, omnesque perdit impios.
21 Iovae laudes eloquetur os meum, celebrabuntque omnia mortalia eius sanctum nomen
in omnem perpetuitatem.

CXLVI. *Haleluia. G. Aggaei et Zachariae. H.*
1 Lauda anime mi Iovam.
2 Laudabo Iovam donec vivam: Deum meum cantabo, donec ero.
3 Nolite primatibus, nolite homine nato confidere, cui salus non est:
4 qui cum spiritum efflat, et in suam revertitur humum, tum pereunt eius conatus.

5 Felix qui praesidium habet in Deo Iacobeorum, in Iovam Deum suum intuens.
6 Qui coeli terraeque, maris et omnium quae sunt in eis, conditor, fidem servat in perpetuum.
7 Qui Iova ius reddit affectis iniuria: victum dat famelicis: vinctos solvit.
8 Iova caecos illustrat, Iova collapsos attollit: Iova iustos amat.
9 Iova peregrinos tuetur: pupillos et viduas sublevat, et impiorum institutum evertit.
10 Regnet in sempiternum Iova Deus tuus, o Sion, in perpetua secula. Haleluia.

CXLVII. *G. Haleluia. H.*
1 Collaudate Iovam: convenit enim Deum cantare nostrum: nam iucunda est laudationis elegantia.
2 Extruit Hierosolymam Iova, extorres congregaturus Israelitas.
3 Is est qui sanat mente fractos, eorumque medetur doloribus.
4 Computat numerum stellarum, omnes appellans nominatim.
5 Magnus est Dominus noster, multarumque virium, et immensae prudentiae.
6 Sublevat humiles Iova: impios sternit humi.
7 Iterate Iovae praedicationem, cantate Deum nostrum cithara.
8 Qui coelum nubibus obducit: qui parat telluri pluviam: qui facit ut germinent montes gramina.
9 Suum bestiis pabulum dat, corvorum pullis clamantibus.
10 Cui non equi robur acceptum est, non viri crura placent.
11 Placent Iovae, qui eum reverentur, eius benignitatem suspicientes.
12 Commenda Hierosolyma Iovam: lauda Deum tuum Sion.
13 Qui tuarum claustra portarum confirmat, tuos in te natos felicitans.
14 Qui tuis pacem finibus conciliat, te tritici polline saturans.
15 Qui simulac terrae mandatum dat, confestim currunt eius dicta.
16 Qui dat nivem tanquam lanam: pruinam spargit ut cinerem.
17 Iacit suam glaciem frustulatim, cuius frigus est intolerabile.
18 Itemque ea dato liquefacit mandato, eoque suum revocante flatum fluit aqua.
19 Is sua dicta Iacobeis, sua placita et sententias Israelitis indicavit.
20 Id quod non fecit ulli caeterarum gentium, nec illae iura norunt. Haleluia.

CXLVIII. 1 *Haleluia. G. Aggaei et Zachariae. H.*
Laudate Iovam coelestia, laudate supremis in locis.
2 Hunc omnes eius genii, hunc universus eius exercitus laudate.
3 Hunc sol et luna, hunc omnia laudate siderum lumina.
4 Hunc coelorum coeli, hunc aquae laudate coelestes.
5 Haec Iovae nomen collaudent, quo iubente creata sunt:
6 Quaeque ipse statuit in perpetuum, praescripta lege non violanda.
7 Laudate Iovam terrestria, cete et omnes undae.
8 Ignis et grando, nix et vapor, ventus procellosus eius mandatum exequens.
9 Montes et colles omnes, arbores fructiferae, cedrique omnes.
10 Ferae et pecudes omnes, reptilia et alatae volucres.
11 Reges terrarum et nationes omnes, principes et terrarum gubernatores omnes.
12 Adolescentes simul et virgines, senes pariter et iuvenes:
13 collaudent Iovae nomen: cuius unius cum adeo augustum nomen sit, ut eius maiestas

terra coeloque pateat,
14 evehit tamen sui populi cornu, ad omnium piorum laudem suorum, videlicet Israelitarum hominum ei proximorum. Haleluia.

CXLIX. *Haleluia.*
1 Canite Iovae laudes novo carmine, in coetu piorum.
2 Laetentur Israelitae in creatore suo, exultent Sionii in suo rege:
3 eius nomen choris laudantes, eum tympanis citharisque cantantes.
4 Favet enim Iova suo populo, suos ornaturus humiles salute.
5 Exultabunt pii gloriose, in suis ovantes cubilibus:
6 Dei praedicationem in gutture, et gladium in manu habentes ancipitem:
7 ad sumendum de gentibus supplicium, ad capiendas de populis poenas:
8 ad eorum reges catenis, ad nobiles vinculis constringendos ferreis.
9 Ad exercendum praescriptum in eos iudicium, quod sit omnibus eius piis ornamento. Haleluia.

CL. *Haleluia.*
1 Laudate Deum in eius fano: laudate in eius potestatis aethere.
2 Hunc ex eius virtutibus, hunc secundum eius excellentem laudate magnitudinem.
3 Hunc tubae clangore, hunc nablis et citharis laudate.
4 Hunc tympanis et choris, hunc laudate fidibus et modulis.
5 Hunc vocalibus cymbalis, hunc tinnientibus laudate cymbalis.
6 Omnia Iovam laudent animantia. Haleluia.

Hactenus ex Hebraeo. Quod sequitur carmen, apud Graecos extat, extra centum quinquaginta carminum numerum, et Davidi ascribitur, cum singulari certamine cum Golia pugnasset.
1 Cum fratrum meorum infimus, et paternae familiae natu minimus, pascerem mei patris oves,
2 feci meis manibus instrumentum, meisque digitis psalterium concinnavi.
3 Quod quis meo Domino renunciavit? ipse ipse Dominus exaudit.
4 Ipse me suo misso nuncio, a mei patris ovibus abduxit, suoque unctorio inunxit oleo.
5 Cumque mei fratres pulchri magnique forent, non tamen probavit eos Dominus.
6 Ego ad congrediendum cum Palaestino illo processi: qui cum me per suos deastros execraretur,
7 ego ipsius ense stricto, ei caput abscidi, et Israelitarum ignominiam abolevi.

PSALTERIUM PIANUM

I. 1 Beatus vir, qui non sequitur consilium impiorum,
Et viam peccatorum non ingreditur,
Et in conventu protervorum non sedet;
2 Sed in lege Domini voluptas eius est,
Et de lege eius meditatur die ac nocte.
3 Et est tamquam arbor
Plantata iuxta rivos aquarum,
Quae fructum praebet tempore suo,
Cuiusque folia non marcescunt,
Et quaecumque facit, prospere procedunt.
4 Non sic impii, non sic;
Sed tamquam palea, quam dissipat ventus.
5 Ideo non consistent impii in iudicio,
Neque peccatores in concilio iustorum.
6 Quoniam Dominus curat viam iustorum,
Et via impiorum peribit.

II. 1 Quare tumultuantur gentes
Et populi meditantur inania?
2 Consurgunt reges terrae
Et principes conspirant simul
Adversus Dominum et adversus Christum eius:
3 Dirumpamus vincula eorum
Et proiciamus a nobis laqueos eorum!
4 Qui habitat in caelis, ridet,
Dominus illudit eis.
5 Tum loquitur ad eos in ira sua,
Et in furore suo conturbat eos:
6 At ego constitui regem meum
Super Sion, montem sanctum meum!
7 Promulgabo decretum Domini:
Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.
8 Postula a me et dabo tibi gentes in hereditatem
Et in possessionem tuam terminos terrae.
9 Reges eas virga ferrea,
Tamquam vas figuli confringes eas.
10 Et nunc, reges, intellegite;
Erudimini, qui gubernatis terram.
11 Servite Domino in timore et exsultate ei;
Cum tremore 12 praestate obsequium illi,
Ne irascatur et pereatis de via,
13 Cum cito exarserit ira eius.
Beati omnes qui confugiunt ad eum.

III. 1 *Psalmus. Davidis, cum fugit a filio suo Absalom.*
2 Domine, quam multi sunt qui tribulant me,
Multi insurgunt adversum me.
3 Multi sunt qui de me dicunt:
Non est salus ei in Deo.
4 Tu autem, Domine, clipeus meus es,
Gloria mea, qui erigis caput meum.
5 Voce mea ad Dominum clamavi,
Et exaudivit me de monte sancto suo.
6 Ego decubui et obdormivi:
Exsurrexi, quia Dominus sustentat me.
7 Non timebo milia populi,
Quae in circuitu contra me consistunt.
8 Exsurge, Domine!
Salvum me fac, Deus meus!
Nam maxillam percussisti omnium adversantium mihi,
Dentes peccatorum confregisti.
9 Penes Dominum est salus:
Super populum tuum sit benedictio tua!

IV. 1 *Magistro chori. Fidibus. Psalmus Davidis.*
2 Cum invocavero, exaudi me, Deus iustitiae meae,
Qui in tribulatione me sublevasti;
Miserere mei et exaudi orationem meam.
3 Viri, quousque estis graves corde?
Quare diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?
4 Scitote: mirabilem facit Dominus sanctum suum;
Dominus exaudiet me, cum invocavero eum.
5 Contremiscite et nolite peccare,
Recogitate in cordibus vestris,
In cubilibus vestris, et obmutescite.
6 Sacrificate sacrificia justa,
Et sperate in Domino.
7 Multi dicunt: Quis ostendet nobis bona?
Extolle super nos lumen vultus tui, Domine!
8 Dedisti laetitiam in cor meum
Maiorem, quam cum abundant tritico et vino.
9 In pace, simul ac decubui, obdormisco,
10 Quoniam tu solus, Domine,
In securitate me constituis.

V. 1 *Magistro chori. Ad tibias. Psalmus. Davidis.*
2 Verba mea auribus percipe, Domine,
Attende gemitum meum,
3 Adverte voci orationis meae,
Rex meus et Deus meus!

Te enim deprecor, 4 Domine;
Mane audis vocem meam;
Mane propono tibi preces meas et exspecto.
5 Tu enim non es Deus cui placeat iniquitas,
Malignus apud te non commoratur,
6 Neque impii consistunt coram te.
Odisti omnes qui patrant iniquia,
7 Perdis omnes qui loquuntur mendacium;
Virum cruentum et dolosum
Abominatur Dominus.
8 Ego autem, pro multitudine gratiae tuae,
Ingrediar domum tuam,
Prosternar ad templum sanctum tuum
In timore tuo, 9 Domine.
Deduc me in iustitia tua propter inimicos meos;
Complana viam tuam coram me.
10 Nam in ore istorum non est sinceritas;
Cor eorum insidias molitur;
Sepulcrum patens est guttur eorum;
Linguis suis blandiuntur.
11 Castiga eos, Deus.
Excidant consiliis suis;
Propter crimina eorum multa expelle eos,
Nam contra te rebelles sunt.
12 Laetentur autem omnes qui confugiunt ad te,
In perpetuum exsultent.
Et protegas eos et laetentur de te,
Qui diligunt nomen tuum.
13 Nam tu benedices iusto, Domine:
Benevolentia, velut scuto, circumdabis eum.

VI. 1 *Magistro chori. Fidibus, Super octavam. Psalmus. Davidis.*
2 Domine, noli me arguere in ira tua,
Nec me corripere in furore tuo.
3 Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum;
Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea,
4 Et anima mea conturbata est valde;
Sed tu, Domine, quousque?
5 Revertere, Domine, eripe animam meam,
Salvum me fac propter misericordiam tuam,
6 Quoniam non est in morte qui recordetur tui:
Apud inferos quis te laudat?
7 Defessus sum gemitu meo,
Fletu per singulas noctes rigo lectum meum,
Lacrimis meis stratum meum perfundo.
8 Caligat maerore oculus meus,

Inveterascit propter omnes inimicos meos.
9 Recedite a me omnes qui facitis iniquitatem,
Quoniam Dominus audivit vocem fletus mei;
10 Dominus audivit precationem meam,
Dominus orationem meam suscepit.
11 Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei;
Recedant et erubescant velociter.

VII. 1 *Lamentatio Davidis, quam cantavit Domino propter Chus Beniaminitam.*
2 Domine Deus meus, ad te confugio;
Salva me ab omnibus persequentibus me et libera me;
3 Ne quis rapiat ut leo animam meam,
Discerpat, nec sit qui eripiat.
4 Domine Deus meus, si feci istud,
Si est iniquitas in manibus meis,
5 Si attuli amico meo malum,
Qui salvavi adversantes mihi iniuste:
6 Insequatur inimicus animam meam et apprehendat,
Conculcet in terram vitam meam,
Et honorem meum in pulverem prosternat.
7 Exsurge, Domine, in ira tua,
Erige te contra rabiem opprimentium me,
Et surge pro me in iudicio, quod indixisti.
8 Et coetus nationum circumdet te,
Et sede super eum in alto.
9 Dominus iudex est populorum:
Ius redde mihi, Domine, secundum iustitiam meam
Et secundum innocentiam, quae est in me.
10 Desinat nequitia impiorum et confirma iustum,
Scrutans corda et renes, Deus iuste.
11 Clipeus mihi est Deus,
Qui salvat rectos corde.
12 Deus est iudex iustus,
Et Deus comminans cotidie.
13 Nisi convertantur, acuet gladium suum,
Tendet arcum et diriget eum,
14 Et eis parabit tela mortis,
Sagittas suas faciet ardentes.
15 Ecce, concepit iniquitatem et gravidus est malitia
Et parit dolum.
16 Fossam fodit et excavavit,
Sed incidit in foveam quam fecit.
17 Convertetur malitia eius in caput ipsius,
Et in verticem ipsius violentia eius redibit.
18 Ego autem laudabo Dominum pro iustitia eius,
Et psallam nomini Domini altissimi.

VIII. 1 *Magistro chori. Ad modum cantici Torcularia... Psalmus. Davidis.*
2 Domine, Domine noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra,
Quia extulisti maiestatem tuam super caelos.
3 Ex ore infantium et lactentium parasti laudem contra adversarios tuos,
Ut compescas inimicum et hostem.
4 Cum video caelos tuos, opus digitorum tuorum,
Lunam et stellas quae tu fundasti:
5 Quid est homo, quod memor es eius?
Aut filius hominis, quod curas de eo?
6 Et fecisti eum paulo minorem angelis,
Gloria et honore coronasti eum;
7 Dedisti ei potestatem super opera manuum tuarum,
Omnia subiecisti pedibus eius:
8 Oves et boves universos,
Insuper et pecora campi,
9 Volucres caeli et pisces maris:
Quidquid perambulat semitas marium.
10 Domine, Domine noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

IX. 1 *Magistro chori. Ad modum cantici mut labben. Psalmus. Davidis.*
2 Celebrabo te, Domine, toto corde meo,
Enarrabo omnia mirabilia tua.
3 Laetabor et exsultabo de te,
Psallam nomini tuo, Altissime,
4 Quia cesserunt inimici mei retrorsum,
Corruerunt et perierunt a facie tua.
5 Nam suscepisti iudicium meum et causam meam,
Sedisti super solium, iudex iustus.
6 Increpasti gentes, perdidisti impium,
Nomen eorum delesti in aeternum.
7 Inimici defecerunt, in ruinas sempiternas acti,
Et urbes destruxisti: periit memoria eorum.
8 Dominus autem in aeternum sedet,
Stabilivit ad iudicandum solium suum.
9 Et ipse iudicabit orbem cum iustitia,
Ius dicet populis cum aequitate.
10 Et erit Dominus refugium oppresso,
Refugium opportunum temporibus angustiae.
11 Et sperabunt in te qui noverunt nomen tuum,
Quia non derelinquis quaerentes te, Domine.
12 Psallite Domino qui habitat in Sion,
Annuntiate in populis opera eius,
13 Quia ultor sanguinis recordatus est eorum,
Non est oblitus clamoris pauperum.
14 Miserere mei, Domine: vide afflictionem quam patior ab inimicis meis,
Extollens me de portis mortis,

15 Ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiae Sion,
Et exsultem de auxilio tuo.
16 Demersae sunt gentes in foveam quam fecerunt,
Laqueo, quem absconderunt, captus est pes eorum.
17 Manifestavit se Dominus, iudicium fecit;
Operibus manuum suarum irretitus est peccator.
18 Recedant peccatores ad inferos,
Omnes gentes quae oblitae sunt Dei.
19 Neque enim in perpetuum oblivioni dabitur pauper,
Fiducia miserorum non peribit in aeternum.
20 Exsurge, Domine: ne praevaleat homo;
Iudicentur gentes in conspectu tuo.
21 Incute, Domine, terrorem eis;
Sciant gentes se homines esse.
22 (1) Quare, Domine, distas procul,
Abscondis te temporibus angustiae,
23 (2) Dum superbit impius, vexatur miser,
Capitur dolis quos ille confinxit?
24 (3) Nam peccator gloriatur de cupidine sua,
Et rapax blasphemat, Dominum spernit.
25 (4) Ait impius in superbia mentis: Non vindicabit;
Non est Deus: haec est omnis cogitatio eius.
26 (5) Prosperae sunt viae eius omni tempore;
Longe distant iudicia tua a mente eius;
Omnes adversarios suos contemnit.
27 (6) Dicit in corde suo: Non commovebor:
A generatione in generationem non ero infelix.
28 (7) Maledictione os eius plenum est et fraude et dolo.
Sub lingua eius labor et vexatio.
29 (8) Sedet in insidiis prope vicos,
In occultis occidit innocentem;
Oculi eius pauperem speculantur.
30 (9) Insidiatur in latebris sicut leo in spelunca sua;
Insidiatur ut rapiat miserum:
Rapit miserum trahitque in rete suum.
31 (10) Incurvatur, prosternit se humi,
Et violentia eius pauperes cadunt.
32 (11) Dicit in corde suo: Oblitus est Deus,
Avertit faciem suam, non videt unquam.
33 (12) Exsurge, Domine Deus, extolle manum tuam!
Noli pauperum oblivisci!
34 (13) Quare spernit impius Deum,
Dicit in corde suo: Non vindicabit?
35 (14) Tu autem vides: tu laborem et maerorem consideras,
Ut ponas ea in manibus tuis.
Tibi se pauper committit,

Orphano tu es adiutor!
36 (15) Contere bracchium peccatoris et maligni:
Vindicabis malitiam eius, nec subsistet.
37 (16) Dominus rex est in saeculum saeculi,
Perierunt gentes de terra eius.
38 (17) Desiderium miserorum audisti, Domine,
Confirmasti cor eorum, aurem praebuisti,
39 (18) Ut ius tuearis orphani et oppressi,
Neque ultra terrorem incutiat homo terrenus.

X. 1 *Magistro chori. Davidis.*
2 Ad Dominum confugio; quomodo dicitis animae meae:
Transvola in montem sicut avis!
3 Ecce enim peccatores tendunt arcum,
Ponunt sagittam suam super nervum,
Ut sagittent in obscuro rectos corde.
4 Quando fundamenta evertuntur,
Iustus quid facere valet?
5 Dominus in templo sancto suo;
Dominus - in caelo sedes eius.
Oculi eius respiciunt,
Palpebrae eius scrutantur filios hominum.
6 Dominus scrutatur iustum et impium;
Qui diligit iniquitatem, hunc odit anima eius.
7 Pluet super peccatores carbones ignitos et sulphur;
Ventus aestuans pars calicis eorum.
8 Nam iustus est Dominus, iustitiam diligit;
Recti videbunt faciem eius.

XI. 1 *Magistro chori. Super octavam. Psalmus. Davidis.*
2 Salva, Domine! Nam deficiunt pii,
Desiit fidelitas inter filios hominum.
3 Fallacia loquuntur unusquisque ad proximum suum,
Labiis dolosis loquuntur et duplici corde.
4 Exstirpet Dominus omnia labia dolosa,
Linguam magiloquam,
5 Eos qui dicunt: Lingua nostra fortes sumus;
Labia nostra pro nobis sunt: quis nobis est dominus?
6 Propter afflictionem humilium et gemitum pauperum,
Nunc exsurgam, dicit Dominus:
Conferam salutem ei qui desiderat eam.
7 Eloquia Domini sunt eloquia sincera,
Argentum probatum, separatum a terra, purgatum septies.
8 Tu, Domine, servabis nos,
Custodies nos a generatione hac in aeternum.

9 In circuitu impii ambulant,
Cum se extollunt vilissimi hominum.

XII. 1 *Magistro chori. Psalmus. Davidis.*
2 Quousque, Domine? oblivisceris mei omnino?
Quousque abscondes faciem tuam a me?
3 Quousque volvam dolores in anima mea,
Maerorem in corde meo cotidie?
Qousque se extollet inimicus meus super me?
4 Respice, exaudi me, Domine, Deus meus!
Illustra oculos meos, ne obdormiam in morte,
5 Ne dicat inimicus meus: Devici eum:
Ne exsultent adversarii mei, quod corruerim:
6 Cum confisus sim in misericordia tua.
Exsultet cor meum de auxilio tuo;
Cantem Domino, qui bona tribuit mihi.

XIII. 1 *Magistro chori. Davidis.*
Dicit insipiens in corde suo:
Non est Deus.
Corrupti sunt, abominanda egerunt;
Non est, qui faciat bonum.
2 Dominus de caelo prospicit super filios hominum,
Ut videat num sit, qui intellegat et quaerat Deum.
3 Omnes simul aberraverunt, depravati sunt:
Non est qui faciat bonum, non est nec unus.
4 Nonne resipiscent omnes qui faciunt iniquitatem,
Qui devorant populum meum, sicut comedunt panem?
Dominum non invocaverunt:
5 Tum trepidabunt timore,
Quoniam Deus cum generatione iusta est.
6 Consilium miseri vultis confundere:
Sed Dominus est refugium eius.
7 Utinam veniat ex Sion salus Israel!
Cum verterit Dominus sortem populi sui,
Exsultabit Iacob, laetabitur Israel.

XIV. 1 *Psalmus. Davidis.*
Domine, quis commorabitur in tabernaculo tuo,
Quis habitabit in monte sancto tuo?
2 Qui ambulat sine macula et facit iustitiam
Et cogitat recta in corde suo,
3 Nec calumniatur lingua sua;
Qui non facit proximo suo malum,
Neque opprobrium infert vicino suo;
4 Qui contemptibilem aestimat improbum,

Timentes vero Dominus honorat;
5 Qui, etsi iuravit cum damno suo, non mutat,
Pecuniam suam non dat ad usuram
Neque accipit munera contra innocentem.
Qui facit haec,
Non movebitur in aeternum.

XV. 1 *Miktam. Davidis.*
Conserva me, Deus, quoniam confugio ad te,
2 Dico Domino: Dominus meus es tu;
Bonum mihi non est sine te.
3 In sanctos, qui sunt in terra eius,
Quam mirabilem fecit omnem affectum meum!
4 Multiplicant dolores suos
Qui sequuntur deos alienos.
Non libabo sanguinem libationum eorum,
Nec pronuntiabo nomina eorum labiis meis.
5 Dominus pars hereditatis meae et calicis mei:
Tu es qui tenes sortem meam.
6 Funes ceciderunt mihi in amoena;
Et hereditas mea perplacet mihi.
7 Benedico Domino, quod dedit mihi consilium,
Quod vel per noctem me monet cor meum.
8 Pono Dominum in conspectu meo semper;
Quoniam a dextris meis est, non commovebor.
9 Propter hoc laetatur cor meum et exsultat anima mea,
Insuper et caro mea requiescet secura,
10 Quia non relinques animam meam apud inferos,
Non sines sanctum tuum videre corruptionem.
11 Ostendes mihi semitam vitae,
Ubertatem gaudiorum apud te,
Delicias ad dexteram tuam in perpetuum.

XVI. 1 *Precatio. Davidis.*
Audi, Domine, iustam causam,
Attende clamorem meum,
Auribus percipe orationem meam ex labiis non dolosis.
2 A conspectu tuo iudicium de me prodeat:
Oculi tui vident quae recta sunt.
3 Si scrutaris cor meum, si visitas nocte, si igne me probas,
Non invenies in me iniquitatem.
Non est transgressum os meum 4 hominum more;
Secundum verba labiorum tuorum ego custodivi vias legis.
5 Firmiter inhaesit gressus meus semitis tuis,
Non titubarunt pedes mei.
6 Ego te invoco, quoniam exaudies me, Deus;

Inclina aurem tuam mihi, audi verbum meum.
7 Mirabilem ostende misericordiam tuam,
Qui ab adversantibus salvas confugientes ad dexteram tuam.
8 Custodi me ut pupillam oculi,
Sub umbra alarum tuarum absconde me
9 A peccatoribus, qui vim inferunt mihi.
Inimici mei cum furore me circumveniunt,
10 Crassum cor suum praecludunt,
Ore suo loquuntur superbe.
11 Passus eorum nunc me circumdant,
Oculos suos intendunt, ut in terram prosternant,
12 Similes leoni, qui inhiat praedae,
Et catulo leonis, qui in abditis sedet.
13 Exsurge, Domine, occurre illi, prosterne eum,
Eripe a peccatore animam meam gladio tuo,
14 Manu tua ab hominibus, Domine:
Ab hominibus, quorum portio est haec vita,
Et quorum ventrem imples opibus tuis;
Quorum filii saturantur
Et relinquunt, quod eis superest, parvulis suis.
15 Ego autem in iustitia videbo faciem tuam,
Satiabor, evigilans, aspectu tuo.

XVII. 1 *Magistro chori. Davidis, servi Domini, qui locutus est ad Dominum verba huius cantici, quando Dominus eum liberavit e potestate omnium inimicorum suorum et e manu Saul.* 2 *Dixit igitur:*
Diligo te, Domine, fortitudo mea.
3 Domine, petra mea, arx mea, liberator meus,
Deus meus, rupes mea, in quam confugio,
Clipeus meus, cornu salutis meae, praesidium meum!
4 Laudabilem invocabo Dominum,
Et ab inimicis meis salvus ero.
5 Circumdederunt me fluctus mortis,
Et torrentes perniciosi terruerunt me;
6 Funes inferni circumplexi sunt me,
Invaserunt me laquei mortis:
7 In tribulatione mea invocavi Dominum,
Et ad Deum meum clamavi;
Et audivit de templo suo vocem meam,
Et clamor meus introivit in aures eius.
8 Et concussa est et contremuit terra,
Fundamenta montium conturbata sunt
Et concussa sunt, quia flagrabat ira.
9 Ascendit fumus e naribus eius,
Et ignis ex ore eius consumens,
Carbones ab eo succensi.

10 Et inclinavit caelos et descendit,
Et atrum nubilum erat sub pedibus eius.
11 Et vectus est super cherub et volavit,
Et ferebatur super alas venti.
12 Induit tenebras ut velamentum,
Ut tegumentum aquam tenebrosam, nubila densa.
13 Ob fulgorem in conspectu eius
Exarserunt carbones igniti.
14 Et intonuit de caelo Dominus,
Et Altissimus emisit vocem suam,
15 Et misit sagittas suas et dissipavit eos,
Fulgura multa, et profligavit eos.
16 Et apparuerunt alvei maris
Et nudata sunt fundamenta orbis terrarum
Ab increpatione Domini,
A flatu spiritus irae eius.
17 Extendit manum ex alto, prehendit me,
Extraxit me de aquis multis.
18 Eripuit me de inimico meo fortissimo,
Et ab osoribus meis, qui erant me validiores.
19 Invadebant me die mihi funesto,
Sed Dominus factus est praesidium mihi,
20 Et eduxit me in campum spatiosum,
Salvum me fecit, quia diligit me.
21 Rependit mihi Dominus secundum iustitiam meam,
Secundum puritatem manuum mearum retribuit mihi.
22 Quia custodivi vias Domini
Nec peccando recessi a Deo meo,
23 Quia omnia mandata eius prae oculis habui,
Et praecepta eius a me non removi,
24 Sed fui integer coram eo,
Et a culpa servavi me.
25 Et retribuit mihi Dominus secundum iustitiam meam,
Secundum puritatem manuum mearum coram oculis eius.
26 Erga virum pium ostendis te pium,
Erga integrum integre agis,
27 Erga purum te monstras purum,
Erga versutum te praebes prudentem.
28 Nam tu populum humilem salvum facis,
Oculos autem elatos affligis.
29 Nam tu splendere facis lucernam meam, Domine;
Deus meus, illuminas tenebras meas.
30 Nam per te incurro in turmas hostiles,
Et per Deum meum transilio murum.
31 Dei via est integra,
Eloquium Domini igne probatum;

Ipse clipeus est omnibus confugientibus ad eum.
32 Quisnam est deus praeter Dominum?
Aut quae petra praeter Deum nostrum?
33 Deus, qui praecinxit me fortitudine
Et fecit integram viam meam,
34 Qui celeres fecit pedes meos ut pedes cervarum,
Et super excelsa statuit me,
35 Qui exercuit manus meas ad proelium,
Et ad arcum aereum tendendum bracchia mea.
36 Et dedisti mihi clipeum tuum salvantem,
Et dextera tua sustentavit me,
Et sollicitudo tua grandem me fecit.
37 Latam fecisti viam gressibus meis,
Nec vacillarunt pedes mei.
38 Insequebar inimicos meos et apprehendebam illos
Nec revertebar, donec confeceram eos.
39 Confregi illos nec potuerunt surgere,
Ceciderunt sub pedibus meis.
40 Et praecinxisti me fortitudine ad proelium,
Et resistentes mihi sub me curvasti,
41 Et inimicos meos in fugam vertisti,
Et, qui oderunt me, disperdidisti.
42 Clamaverunt - neque erat qui salvos faceret;
Ad Dominum - neque eos audivit.
43 Et disieci eos ut pulverem ante ventum,
Ut lutum platearum contudi eos.
44 Eripuisti me de contentionibus populi,
Caput nationum me constituisti.
Populus, quem non noveram, servavit mihi,
45 Ad primum auditum oboedivit mihi;
Alienigenae blanditi sunt mihi,
46 Alienigenae palluerunt, exierunt trementes ex arcibus suis.
47 Vivat Dominus, et benedicta sit Petra mea,
Et laudibus extollatur Deus, salvator meus,
48 Deus qui dedit ultionem mihi
Et populos mihi subiecit;
49 Qui liberasti me ab inimicis meis,
Et super resistentes mihi extulisti me,
A viro violento me eripuisti.
50 Propterea celebrabo te in nationibus, Domine,
Et nomini tuo psalmum dicam:
51 Qui magnas victorias dedisti regi tuo
Et misericordiam fecisti uncto tuo,
David et semini eius in aeternum.

XVIII. 1 *Magistro chori. Psalmus. Davidis.*
2 Caeli enarrant gloriam Dei,
Et opus manuum eius annuntiat firmamentum.
3 Dies diei effundit verbum,
Et nox nocti tradit notitiam.
4 Non est verbum et non sunt sermones,
Quorum vox non percipiatur:
5 In omnem terram exit sonus eorum,
Et usque ad fines orbis eloquia eorum,
Ibi posuit soli tabernaculum suum,
6 Qui procedit ut sponsus de thalamo suo,
Exsultat ut gigas percurrens viam.
7 A termino caeli fit egressus eius,
Et circuitus eius usque ad terminum caeli,
Nec quidquam subtrahitur ardori eius.
8 Lex Domini perfecta, recreans animam;
Praescriptum Domini firmum, instituens rudem;
9 Praecepta Domini recta, delectantia cor;
Mandatum Domini mundum, illustrans oculos;
10 Timor Domini purus, permanens in aeternum;
Iudicia Domini vera, iusta omnia simul,
11 Desiderabilia super aurum et obryzum multum
Et dulciora melle et liquore favi.
12 Etsi servus tuus attendit illis,
In iis custodiendis sedulus est valde,
13 Errata tamen quis animadvertit?
A mihi occultis munda me.
14 A superbia quoque prohibe servum tuum,
Ne dominetur in me,
Tunc integer ero et mundus
A delicto grandi.
15 Accepta sint eloquia oris mei et meditatio cordis mei
Coram te, Domine, Petra mea et Redemptor meus.

XIX. 1 *Magistro chori. Psalmus. Davidis.*
2 Exaudiat te Dominus die tribulationis,
Protegat te nomen Dei Iacob.
3 Mittat tibi auxilium de Sancto,
Et de Sion te sustentet,
4 Memor sit omnium oblationum tuarum,
Et holocaustum tuum habeat gratum.
5 Tribuat tibi quae optat cor tuum
Et impleat omne consilium tuum.
6 Laetemur de victoria tua,
Et in nomine Dei nostri extollamus vexilla;
Impleat Dominus omnes petitiones tuas!

7 Iam novi Dominum tribuisse victoriam uncto suo,
Exaudisse eum de caelo sancto suo
Fortitudine victricis dexterae suae.
8 Illi curribus et isti equis,
Nos autem nomine Domini, Dei nostri, fortes sumus;
9 Illi collapsi sunt et ceciderunt,
Nos vero stamus et permanemus.
10 Domine, victoriam tribue regi
Et exaudi nos, quo die te invocamus.

XX. 1 *Magistro chori. Psalmus. Davidis.*
2 Domine, de potentia tua laetatur rex,
Et de auxilio tuo quam vehementer exsultat!
3 Desiderium cordis eius tribuisti ei,
Et petitionem labiorum eius non denegasti.
4 Nam benedictionibus faustis praevenisti eum,
Imposuisti capiti eius coronam de auro puro.
5 Vitam petiit a te: tribuisti ei
Longitudinem dierum in saeculum saeculi.
6 Magna est gloria eius auxilio tuo,
Maiestatem et decorem posuisti super eum.
7 Etenim fecisti eum benedictionem in saeculum,
Laetificasti eum gaudio in conspectu tuo.
8 Nam rex confidit in Domino,
Et propter gratiam Altissimi non commovebitur.
9 Superveniat manus tua omnibus inimicis tuis;
Dextera tua inveniat eos qui te oderunt.
10 Pone eos ut in fornace ignis,
Cum apparuerit facies tua.
Dominus in ira sua consumat eos,
Et ignis devoret eos.
11 Prolem eorum perde de terra,
Et semen eorum e filiis hominum.
12 Si intentaverint in te malum,
Moliti sint dolum, non praevalebunt;
13 Nam in fugam convertes eos,
Tendes arcum tuum in faciem eorum.
14 Exsurge, Domine, in potentia tua!
Canemus et celebrabimus fortitudinem tuam.

XXI. 1 *Magistro chori. Psalmus. Davidis.*
2 Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?
Longe abes a precibus, a verbis clamoris mei.
3 Deus meus, clamo per diem, et non exaudis,
Et nocte, et non attendis ad me.
4 Tu autem in sanctuario habitas,

Laus Israel.
5 In te speraverunt patres nostri,
Speraverunt et liberasti eos;
6 Ad te clamaverunt et salvi facti sunt,
In te speraverunt et non sunt confusi.
7 Ego autem sum vermis et non homo,
Opprobrium hominum et despectio plebis.
8 Omnes videntes me derident me,
Diducunt labia, agitant caput:
9 Confidit in Domino: liberet eum,
Eripiat eum, si diligit eum.
10 Tu utique duxisti me inde ab utero;
Securum me fecisti ad ubera matris meae.
11 Tibi traditus sum inde ab ortu,
Ab utero matris meae Deus meus es tu.
12 Ne longe steteris a me, quoniam tribulor;
Prope esto: quia non est adiutor.
13 Circumstant me iuvenci multi,
Tauri Basan cingunt me.
14 Aperiunt contra me os suum,
Sicut leo rapax et rugiens.
15 Sicut aqua effusus sum,
Et disiuncta sunt omnia ossa mea:
Factum est cor meum tamquam cera,
Liquescit in visceribus meis.
16 Aruit tamquam testa guttur meum,
Et lingua mea adhaeret faucibus meis,
Et in pulverem mortis deduxisti me.
17 Etenim circumstant me canes multi,
Caterva male agentium cingit me.
Foderunt manus meas et pedes meos,
18 Dinumerare possum omnia ossa mea.
Ipsi vero aspiciunt et videntes me laetantur;
19 Dividunt sibi indumenta mea,
Et de veste mea mittunt sortem.
20 Tu autem, Domine, ne longe steteris:
Auxilium meum, ad iuvandum me festina.
21 Eripe a gladio animam meam,
Et de manu canis vitam meam;
22 Salva me ex ore leonis
Et me miserum a cornibus bubalorum.
23 Enarrabo nomen tuum fratribus meis,
In medio coetu laudabo te.
24 Qui timetis Dominum, laudate eum;
Universum semen Iacob, celebrate eum:
25 Timete eum, omne semen Israel.

Neque enim sprevit nec fastidivit miseriam miseri;
Neque abscondit faciem suam ab eo
Et, dum clamavit ad eum, audivit eum.
26 A te venit laudatio mea in coetu magno,
Vota mea reddam in conspectu timentium eum.
27 Edent pauperes et saturabuntur,
Laudabunt Dominum, qui quaerunt eum:
Vivant corda vestra in saecula.
28 Recordabuntur et convertentur ad Dominum
Universi fines terrae;
Et procumbent in conspectu eius
Universae familiae gentium,
29 Quoniam Domini est regnum,
Et ipse dominatur in gentibus.
30 Eum solum adorabunt omnes qui dormiunt in terra,
Coram eo curvabuntur omnes, qui descendunt in pulverem.
Et anima mea ipsi vivet,
31 Semen meum serviet ei,
Narrabit de Domino generationi 32 venturae,
Et annuntiabunt iustitiam eius populo, qui nascetur:
Haec fecit Dominus.

XXII. 1 *Psalmus. Davidis.*
Dominus pascit me: nihil mihi deest;
2 In pascuis virentibus cubare me facit.
Ad aquas, ubi quiescam, conducit me;
3 Reficit animam meam.
Deducit me per semitas rectas
Propter nomen suum.
4 Etsi incedam in valle tenebrosa,
Non timebo mala, quia tu mecum es.
Virga tua et baculus tuus:
Haec me consolantur.
5 Paras mihi mensam
Spectantibus adversariis meis;
Inungis oleo caput meum;
Calix meus uberrimus est.
6 Benignitas et gratia me sequentur
Cunctis diebus vitae meae,
Et habitabo in domo Domini
In longissima tempora.

XXIII. 1 *Davidis. Psalmus.*
Domini est terra et quae replent eam,
Orbis terrarum et qui habitant in eo.
2 Nam ipse super maria fundavit eum,

Et super flumina firmavit eum.
3 Quis ascendet in montem Domini,
Aut quis stabit in loco sancto eius?
4 Innocens manibus et mundus corde,
Qui non intendit mentem suam ad vana,
Nec cum dolo iuravit proximo suo.
5 Hic accipiet benedictionem a Domino
Et mercedem a Deo Salvatore suo.
6 Haec est generatio quaerentium eum,
Quaerentium faciem Dei Iacob.
7 Attolite, portae, capita vestra,
Et attolite vos, fores antiquae,
Ut ingrediatur rex gloriae.
8 Quis est iste rex gloriae?
Dominus fortis et potens,
Dominus potens in proelio.
9 Attolite, portae, capita vestra,
Et attolite vos, fores antiquae,
Ut ingrediatur rex gloriae!
10 Quis est iste rex gloriae?
Dominus exercituum: ipse est rex gloriae.

XXIV. 1 *Davidis.*
Ad te attollo animam meam,
Domine, 2 Deus meus.
In te confido: ne confundar!
Ne exsultent de me inimici mei!
3 Etenim universi, qui sperant in te, non confundentur;
Confundentur, qui fidem temere frangunt.
4 Vias tuas, Domine, ostende mihi
Et semitas tuas edoce me.
5 Dirige me in veritate tua et doce me,
Quia tu es Deus salvator meus:
Et in te spero semper.
6 Reminiscere miserationum tuarum, Domine,
Et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.
7 Peccata iuventutis meae et delicta mea ne memineris;
Secundum misericordiam tuam memento mei tu,
Propter bonitatem tuam, Domine.
8 Bonus et rectus est Dominus:
Propterea peccatores edocet viam.
9 Dirigit humiles in iustitia,
Docet humiles viam suam.
10 Omnes semitae Domini gratia et fidelitas
Iis qui observant foedus et praecepta eius.
11 Propter nomen tuum, Domine,

Dimittes peccatum meum: grande est enim.
12 Quis est vir, qui timet Dominum?
Docet eum, quam viam eligat.
13 In bonis morabitur ipse,
Et semen eius possidebit terram.
14 Familiaris est Dominus timentibus eum,
Et foedus suum manifestat eis.
15 Oculi mei semper ad Dominum,
Quia ipse eruet de laqueo pedes meos.
16 Respice in me et miserere mei,
Nam solus et miser sum ego.
17 Alleva angustias cordis mei,
Et de anxietatibus meis erue me.
18 Vide miseriam meam et laborem meum,
Et dimitte universa delicta mea.
19 Respice inimicos meos: sunt enim multi,
Et odio violento oderunt me.
20 Custodi animam meam et eripe me,
Ne confundar quod confugi ad te.
21 Innocentia et probitas me tueantur,
Quoniam spero in te, Domine.
22 Libera, Deus, Israel
Ex omnibus angustiis eius.

XXV. 1 *Davidis.*
Ius redde mihi, Domine, quoniam ego in innocentia mea ambulavi.
Et in Domino confisus, non vacillavi.
2 Scrutare me, Domine, et proba me;
Explora renes meos et cor meum.
3 Nam benignitas tua est ante oculos meos,
Et ambulo in veritate tua.
4 Non sedeo cum viris iniquis,
Nec convenio cum dolosis.
5 Odi conventum male agentium
Et cum impiis non consido.
6 Lavo in innocentia manus meas
Et circumeo altare tuum, Domine,
7 Ut palam annuntiem laudem
Et enarrem universa mirabilia tua.
8 Domine, diligo habitaculum domus tuae
Et locum tabernaculi gloriae tuae.
9 Noli auferre cum peccatoribus animam meam
Et cum viris sanguinum vitam meam,
10 In quorum manibus scelus est,
Et quorum dextera plena est muneribus.
11 Ego autem in innocentia mea ambulo:

Redime me et miserere mei.
12 Pes meus stat in via plana,
In conventibus benedicam Domino.

XXVI. 1 *Davidis.*
Dominus lux mea et salus mea: quem timebo?
Dominus praesidium vitae meae: a quo trepidabo?
2 Cum invadunt me maligni, ut edant carnem meam,
Hostes mei et inimici mei, labuntur et cadunt.
3 Si steterint adversum me castra, non timebit cor meum;
Si surrexerit contra me bellum, ego confidam.
4 Unum peto a Domino: hoc requiro:
Ut habitem in domo Domini cunctis diebus vitae meae,
Ut fruar suavitate Domini,
Et aspiciam templum eius.
5 Etenim abscondet me in tentorio suo die malo,
Occultabit me in abdito tabernaculi sui.
In petram extollet me.
6 Et nunc caput meum erigitur
Super inimicos qui circumstant me,
Et immolabo in tabernaculo eius hostias exsultationis,
Cantabo et psallam Domino.
7 Audi, Domine, vocem meam qua clamo,
Miserere mei et exaudi me.
8 Tibi loquitur cor meum; te quaerit facies mea;
Faciem tuam, Domine, quaero.
9 Noli abscondere faciem tuam a me,
Noli repellere in ira servum tuum.
Auxilium meum es tu; ne abieceris me
Neve dereliqueris me, Deus, salvator meus.
10 Si pater meus et mater mea dereliquerint me,
Dominus tamen me suscipiet.
11 Doce me, Domine, viam tuam,
Et deduc me in semita plana propter adversarios meos.
12 Ne tradideris me desiderio inimicorum meorum,
Quoniam insurrexerunt in me testes mendaces, et qui violentiam spirant.
13 Credo visurum me bona Domini
In terra viventium.
14 Exspecta Dominum, esto fortis,
Et roboretur cor tuum, et exspecta Dominum.

XXVII. 1 *Davidis.*
Ad te, Domine, clamo;
Petra mea, ne surdus fueris mihi,
Ne, si non audieris me, similis fiam
Descendentibus in foveam.

2 Audi vocem obsecrationis meae, dum ad te clamo,
Dum attollo manus meas ad templum sanctum tuum.
3 Noli me abripere cum peccatoribus
Et cum facientibus inquitatem,
Qui loquuntur pacem cum proximis suis,
Sed malum in animo habent.
4 Da eis secundum acta eorum
Et secundum malitiam facinorum ipsorum.
Secundum opus manuum eorum tribue illis,
Facta eorum redde ipsis.
5 Quia non attendunt ad acta Domini et ad opus manuum eius,
Destruat eos nec restituat eos.
6 Benedictus Dominus, quia audivit vocem obsecrationis meae,
7 Dominus, robur meum et clipeus meus!
In ipso confisum est cor meum, et adiutus sum;
Ideo exsultat cor meum, et cantico meo laudo eum.
8 Dominus robur est populo suo,
Et praesidium salutis uncto suo.
9 Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae,
Et pasce eos, et porta eos usque in aeternum.

XXVIII. 1 *Psalmus. Davidis.*
Tribuite Domino, filii Dei,
Tribuite Domino gloriam et potentiam!
2 Tribuite Domino gloriam nominis eius,
Adorate Dominum in ornatu sacro.
3 Vox Domini super aquas!
Deus maiestatis intonuit:
Dominus super aquas multas!
4 Vox Domini cum potentia!
Vox Domini cum magnificentia!
5 Vox Domini confringit cedros,
Dominus confringit cedros Libani.
6 Facit subsilire, ut vitulum, Libanum,
Et Sarion, ut pullum bubalorum.
7 Vox Domini elicit flammas ignis,
8 Vox Domini concutit desertum,
Dominus concutit desertum Cades.
9 Vox Domini contorquet quercus et decorticat silvas:
Et in templo eius omnes dicunt: Gloria!
10 Dominus super diluvium sedit,
Et Dominus sedebit rex in aeternum.
11 Dominus fortitudinem populo suo dabit,
Dominus benedicet populo suo cum pace.

XXIX. 1 *Psalmus. Canticum festi dedicationis templi. Davidis.*
2 Praedicabo te, Domine, quoniam liberasti me,
Nec laetificasti de me inimicos meos.
3 Domine, Deus meus,
Clamavi ad te, et sanasti me;
4 Domine, eduxisti ab inferis animam meam;
Salvasti me ex descendentibus in foveam.
5 Psallite Domino, sancti eius;
Et gratias agite nomini sancto eius.
6 Nam momento durat ira eius,
Per totam vitam benevolentia eius.
Vespere advenit fletus,
Et exsultatio mane.
7 Ego autem dixit in confidentia mea:
Non movebor in aeternum.
8 Domine, in favore tuo praestitisti mihi honorem et potentiam;
Cum abscondisti faciem tuam, factus sum conturbatus.
9 Ad te, Domine, clamo,
Et misericordiam Dei mei imploro:
10 Quid lucri erit ex sanguine meo,
Ex descensu meo in foveam?
An laudabit te pulvis,
Aut praedicabit fidelitatem tuam?
11 Audi, Domine, et miserere mei;
Domine, esto adiutor meus.
12 Convertisti planctum meum in chorum mihi;
Salvasti saccum meum, et cinxisti me laetitia:
13 Ut psallat tibi anima mea nec taceat.
Domine Deus meus, in aeternum laudabo te.

XXX. 1 *Magistro chori. Psalmus. Davidis.*
2 Ad te, Domine, confugio: ne confundar in aeternum;
In iustitia tua libera me!
3 Inclina ad me aurem tuam,
Festina, ut eripias me.
Esto mihi petra refugii,
Arx munita, ut salves me.
4 Nam tu es petra mea et arx mea,
Et propter nomen tuum deduces me et diriges me.
5 Educes me e reti quod absconderunt mihi,
Quia tu es refugium meum.
6 In manus tuas commendo spiritum meum:
Liberabis me, Domine, Deus fidelis.
7 Odisti eos qui colunt idola vana;
Ego autem in Domino confido.
8 Exsultabo et laetabor de miseratione tua,

Quoniam respexisti miseriam meam,
Adiuvisti in angustiis animam meam,
9 Nec tradidisti me in manum inimici,
Sed statuisti in loco spatioso pedes meos.
10 Miserere mei, Domine, quia in angustiis sum;
Maerore tabescit oculus meus, anima mea et corpus meum.
11 Etenim aerumna consumitur vita mea,
Et anni mei gemitu.
Defecit in afflictione robur meum,
Et ossa mea tabuerunt.
12 Omnibus inimicis meis factus sum opprobrium,
Vicinis meis ludibrium, et terror notis meis;
Qui foris vident me, aufugiunt a me;
13 Oblivione excidi ex corde, quasi mortuus,
Factus tamquam vas confractum.
14 Etenim audivi sibilum multorum - terror est undique!
Convenientes simul contra me, vitam meam auferre meditati sunt.
15 Ego autem in te confido, Domine;
Dico: Deus meus es tu.
16 In manu tua sortes meae;
Eripe me de manu inimicorum meorum et a persequentibus me.
17 Serenum praebe vultum tuum servo tuo,
Salva me in misericordia tua.
18 Domine, ne confundar, quia invocavi te;
Confundantur impii, conticescant, acti ad inferos.
19 Muta fiant labia mendacia,
Quae loquuntur contra iustum insolenter in superbia et contemptu.
20 Quam magna est bonitas tua, Domine,
Quam reservasti timentibus te,
Quam praestas confugientibus ad te,
In conspectu hominum.
21 Protegis eos protectione vultus tui
A conspiratione virorum,
Occultas eos in tentorio
A iurgio linguarum.
22 Benedictus Dominus, quia mirabilem praebuit mihi
Misericordiam suam in urbe munita.
23 Ego autem dixi in trepidatione mea:
Abscissus sum a conspectu tuo:
Tu vero audisti vocem obsecrationis meae,
Cum clamarem ad te.
24 Diligite Dominum, omnes sancti eius!
Fideles conservat Dominus,
Sed retribuit abundanter
Agentibus superbe.

25 Confortamini et roboretur cor vestrum
Omnes, qui speratis in Domino.

XXXI. 1 *Davidis. Maskil.*
Beatus cuius remissa est iniquitas,
Cuius obtectum est peccatum.
2 Beatus homo cui Dominus non imputat culpam,
Et in cuius spiritu non est dolus.
3 Quamdiu tacui, tabuerunt ossa mea
Inter gemitus meos assiduos.
4 Etenim die noctuque gravis erat super me manus tua,
Consumebatur robur meum velut ardoribus aestivis,
5 Peccatum meum confessus sum tibi,
Et culpam meam non abscondi;
Dixi: Confiteor iniquitatem meam Domino,
Et tu remisisti culpam peccati mei.
6 Propterea orabit ad te omnis pius
In tempore necessitatis.
Cum irruent aquae multae,
Ad eum non pervenient.
7 Tu es refugium mihi, ab angustiis me servabis,
Gaudio salutis meae circumdabis me.
8 Erudiam te, et docebo viam, qua ambules;
Instruam te, firmans super te oculos meos.
9 Nolite esse sicut equus et mulus sine intellectu,
Quorum impetus camo et freno constringitur;
Secus ad te non appropinquant.
10 Multi sunt dolores impii;
Sperantem autem in Domino misericordia circumdat.
11 Laetamini in Domino et gaudete, iusti;
Et exsultate, omnes recti corde.

XXXII. 1 Exsultate, iusti, in Domino:
Rectos decet collaudatio.
2 Celebrate Dominum cithara,
Psalterio decachordo psallite ei.
3 Cantate ei canticum novum,
Bene canite ei cum clangore.
4 Nam rectum est verbum Domini,
Et omne opus eius fidum.
5 Diligit iustitiam et ius:
Gratia Domini plena est terra.
6 Verbo Domini caeli facti sunt,
Et spiritu oris eius omne agmen eorum.
7 Congregat quasi in utre aquas maris:
Ponit in receptaculis fluctus.

8 Timeat Dominum omnis terra:
Ipsum vereantur omnes incolae orbis.
9 Nam ipse dixit et facta sunt;
Ipse mandavit et exstiterunt.
10 Dominus dissipat consilium nationum;
Irritas facit cogitationes populorum.
11 Consilium Domini in aeternum manet:
Cogitationes cordis eius in generationem et generationem.
12 Beata gens, cuius Deus est Dominus:
Populus quem elegit in hereditatem sibi.
13 De caelis respicit Dominus:
Videt omnes filios hominum.
14 De loco habitationis suae prospectat
Omnes qui habitant terram:
15 Qui omnium eorum corda finxit,
Qui attendit ad omnia opera eorum.
16 Non vincit rex multo exercitu:
Bellator non se salvat magno robore.
17 Fallax est equus ad victoriam,
Et magnitudine roboris sui non salvat.
18 Ecce oculi Domini super timentes eum:
In eos qui sperant gratiam eius,
19 Ut eruat a morte animas eorum
Et alat eos in fame.
20 Anima nostra exspectat Dominum:
Adiutor et clipeus noster ipse est.
21 In illo ergo laetatur cor nostrum,
In nomine sancto eius confidimus.
22 Fiat misericordia tua, Domine, super nos,
Quemadmodum speramus in te.

XXXIII. 1 *Davidis, quando se mente alienatum simulavit coram Abimelech et, dimissus ab illo, abiit.*
2 Benedicam Domino omni tempore;
Semper laus eius in ore meo.
3 In Domino glorietur anima mea:
Audiant humiles, et laetentur.
4 Magnificate Dominum mecum;
Et extollamus nomen eius simul.
5 Quaesivi Dominum, et exaudivit me;
Et ex omnibus timoribus meis eripuit me.
6 Aspicite ad eum, ut exhilaremini,
Et facies vestrae ne erubescant.
7 Ecce, miser clamavit, et Dominus audivit,
Et ex omnibus angustiis eius salvavit eum.
8 Castra ponit angelus Domini

Circa timentes eum, et eripit eos.
9 Gustate, et videte, quam bonus sit Dominus;
Beatus vir qui confugit ad eum.
10 Timete Dominum, sancti eius,
Quia non est inopia timentibus eum.
11 Potentes facti sunt pauperes et esurierunt;
Quaerentes autem Dominum nullo bono carebunt.
12 Venite, filii, audite me;
Timorem Domini docebo vos.
13 Quis est homo qui diligit vitam,
Desiderat dies, ut bonis fruatur?
14 Cohibe linguam tuam a malo,
Et labia tua a verbis dolosis.
15 Recede a malo, et fac bonum;
Quaere pacem, et sectare eam.
16 Oculi Domini respiciunt iustos,
Et aures eius clamorem eorum.
17 Vultus Domini aversatur facientes mala,
Ut deleat de terra memoriam eorum.
18 Clamaverunt iusti, et Dominus exaudivit eos;
Et ex omnibus angustiis eorum eripuit eos.
19 Prope est Dominus contritis corde,
Et confractos spiritu salvat.
20 Multa sunt mala iusti;
Sed ex omnibus eripit eum Dominus.
21 Custodit omnia ossa eius:
Non confringetur ne unum quidem.
22 In mortem agit impium malitia,
Et qui oderunt iustum, punientur.
23 Dominus liberat animas servorum suorum,
Neque punietur, quicumque confugerit ad eum.

XXXIV. 1 *Davidis.*
Certa, Domine, contra certantes mecum,
Impugna impugnantes me.
2 Apprehende clipeum et scutum,
Et exsurge in auxilium meum.
3 Vibra lanceam et cohibe persequentes me,
Dic animae meae: Salus tua ego sum.
4 Confundantur et erubescant qui quaerunt vitam meam,
Cedant retrorsum et afficiantur pudore qui cogitant mihi mala.
5 Sint velut palea ante ventum,
Cum angelus Domini pellet eos.
6 Sit via illorum tenebrosa et lubrica,
Cum angelus Domini insectabitur eos.
7 Nam sine causa tetenderunt mihi rete suum,

Sine causa foderunt foveam vitae meae.
8 Veniat illis interitus improviso,
Et rete, quod tetenderunt, capiat ipsos;
In foveam quam foderunt, ipsi cadant.
9 Anima autem mea exsultabit in Domino,
Laetabitur de auxilio eius.
10 Omnes vires meae dicent:
Domine, quis similis tibi,
Qui eripis miserum a praepotente,
Miserum et pauperem a praedatore.
11 Surrexerunt testes violenti:
Quorum non eram conscius, a me quaerebant.
12 Retribuebant mihi mala pro bonis:
Desolationem animae meae.
13 Ego autem, cum illi aegrotarent, induebar cilicio,
Affligebam ieiunio animam meam
Et preces intra me fundebam.
14 Velut pro amico, pro fratre meo, incedebam tristis.
Velut qui luget matrem, maestus incurvabar.
15 Sed cum vacillarem ego, laetati sunt et convenerunt,
Convenerunt contra me percutientes inopinantem.
Dilaniabant me neque cessabant,
16 Tentabant me, irridebant mihi
Frendentes contra me dentibus suis.
17 Domine, quamdiu aspicies?
Eripe animam meam a rugientibus, a leonibus vitam meam.
18 Gratias agam tibi in coetu magno,
In populo multo te laudabo.
19 Ne gaudeant de me inimici mei iniusti;
Ne oculis annuant qui me oderunt sine causa.
20 Neque enim quae pacis sunt loquuntur,
Et contra quietos terrae fraudes meditantur.
21 Et dilatant contra me os suum,
Dicunt: Vah! Vah! oculis nostris vidimus!
22 Vidisti, Domine! Noli silere,
Domine, noli esse procul a me!
23 Expergiscere et evigila ad defensionem meam,
Deus meus et Dominus meus, pro causa mea!
24 Iudica me secundum iustitiam tuam, Domine;
Deus meus, ne laetentur de me!
25 Ne cogitent in corde suo: Vah! Quod desideravimus!
Ne dicant: Devoravimus eum.
26 Confundantur et erubescant omnes simul,
Qui laetantur de malis meis;
Induantur confusione et ignominia,
Qui se extollunt contra me.

27 Exsultent et laetentur qui favent causae meae,
Et dicant semper:
Magnificetur Dominus,
Qui favet saluti servi sui.
28 Et lingua mea enuntiabit iustitiam tuam,
Perpetuo laudem tuam.

XXXV. 1 *Magistro chori. Davidis, servi Domini.*
2 Loquitur iniquitas ad impium in corde eius;
Non es timor Dei ante oculos eius.
3 Etenim in mente sua blanditur sibi
Non deprehendi culpam suam neque abhorreri.
4 Verba oris eius iniquitas et dolus,
Desiit sapere et agere bene.
5 Iniquitatem meditatur in cubili suo,
Consistit in via non bona, malum non aversatur.
6 Domine, caelum contingit misericordia tua,
Fidelitas tua ipsas nubes.
7 Iustitia tua sicut montes Dei,
Iudicia tua sicut mare profundum:
Homines et iumenta salvas, Domine.
8 Quam pretiosa est gratia tua, Deus:
Filii hominum sub umbram alarum tuarum confugiunt;
9 Satiantur pinguedine domus tuae,
Et torrente deliciarum tuarum potas eos.
10 Etenim apud te est fons vitae,
Et in lumine tuo videmus lumen.
11 Serva gratiam tuam iis qui te colunt,
Et aequitatem tuam iis qui recto sunt corde.
12 Ne superveniat mihi pes superbi,
Et manus peccatoris ne moveat me.
13 Ecce corruerunt qui patrant iniquitatem:
Deiecti sunt nec surgere possunt.

XXXVI. 1 *Davidis.*
Noli excandescere propter male agentes,
Neque invidere facientibus iniquitatem;
2 Nam sicut faenum velociter decident
Et sicut herba viridis marcescent.
3 Spera in Domino, et fac bonum,
Ut habites terram et fruaris securitate.
4 Delectare in Domino,
Et dabit tibi quod petit cor tuum.
5 Committe Domino viam tuam,
Et spera in eo, et ipse aget.
6 Et oriri faciet sicut lumen iustitiam tuam,

Et ius tuum sicut meridiem.
7 Acquiesce in Domino,
Et spera in eo.
Noli excandescere de eo qui prospere procedit in via sua,
Propter hominem machinantem mala.
8 Desiste ab ira et depone furorem;
Noli excandescere, ne male agas.
9 Etenim male agentes destruentur;
Sed qui sperant in Domino, possidebunt terram.
10 Et modicum, et non erit impius;
Et si attendes ad locum eius, iam non erit.
11 Sed mansueti possidebunt terram,
Et delectabuntur multitudine pacis.
12 Mala molitur impius iusto
Et frendit contra eum dentibus suis.
13 Dominus irridet illi,
Quia videt diem eius venturum.
14 Gladium evaginant impii et tendunt arcum suum,
Ut prosternant miserum et pauperem,
Ut trucident eos qui recta via incedunt.
15 Gladius eorum penetrabit in corda ipsorum,
Et arcus eorum confringentur.
16 Melius est modicum, quod habet iustus,
Quam opulentia impiorum magna;
17 Nam bracchia impiorum confringentur,
Iustos autem sustentat Dominus.
18 Dominus curat de vita proborum,
Et hereditas eorum in aeternum erit.
19 Non confundentur tempore calamitatis,
Et diebus famis saturabuntur.
20 Impii vero peribunt,
Et inimici Domini ut decor pratorum marcescent,
Quaemadmodum fumus evanescent.
21 Mutuatur impius et non reddit,
Iustus autem miseretur et donat.
22 Nam, quibus benedixerit, possidebunt terram,
Et quibus maledixerit, destruentur.
23 A Domino gressus hominis firmantur,
Et viam eius acceptam habet.
24 Etsi ceciderit, non prosternitur,
Quia Dominus sustinet manum eius.
25 Puer fui, et iam sum senex,
Et non vidi iustum derelictum,
Nec semen eius mendicans panem.
26 Omni tempore miseretur et commodat;
Et semini illius benedicetur.

27 Recede a malo, et fac bonum,
Ut maneas in sempiternum.
28 Nam Dominus diligit iustitiam,
Et non derelinquit sanctos suos;
Improbi destruentur,
Et semen impiorum exscindetur.
29 Iusti possidebunt terram,
Et habitabunt in sempiternum super eam.
30 Os iusti eloquitur sapientiam,
Et lingua eius effatur rectum.
31 Lex Dei eius in corde ipsius,
Et non vacillant gressus eius.
32 Observat impius iustum,
Et studet occidere eum.
33 Dominus non derelinquet eum in manu illius,
Nec condemnabit eum, cum iudicabitur.
34 Confide in Domino,
Et viam eius observa;
Et provehet te, ut possideas terram;
Excidium impiorum laetus videbis.
35 Vidi impium superbientem
Et sese expandentem ut cedrum frondosam.
36 Et praeterii, et ecce non erat;
Et quaesivi eum, et non est inventus.
37 Observa probum et considera iustum:
Nam posteritas est viro pacifico.
38 Peccatores autem exstirpabuntur omnes,
Posteritas impiorum exscindetur.
39 Salus iustorum a Domino est;
Refugium eorum est tempore tribulationis.
40 Et adiuvat eos Dominus et liberat eos;
Liberat eos ab impiis, et servat eos,
Quia confugiunt ad eum.

XXXVII. 1 *Psalmus. Davidis. Ad commemorandum.*
2 Domine, noli me arguere in ira tua
Nec me corripere in furore tuo.
3 Etenim sagittae tuae infixae sunt mihi,
Et descendit super me manus tua.
4 Nihil sani est in carne mea ob indignationem tuam,
Nihil integri in ossibus meis propter peccatum meum.
5 Nam culpae meae supergressae sunt caput meum,
Sicut onus grave gravant me nimis.
6 Foetent, tabescunt livores mei
Propter insipientiam meam.
7 Inclinatus, incurvatus sum valde,

Toto die maestus incedo.
8 Nam lumbi mei pleni sunt inflammatione,
Nec quicquam est sani in carne mea.
9 Elangui, contritus sum valde,
Rugio propter fremitum cordis mei.
10 Domine, coram te est omne desiderium meum,
Et gemitus meus te non latet.
11 Cor meum palpitat, dereliquit me robur meum,
Et ipsa lux oculorum meorum deficit me.
12 Amici mei et sodales mei procul a plaga mea subsistunt,
Et propinqui mei stant e longinquo.
13 Et laqueos tendunt qui insidiantur vitae meae,
Et qui quaerunt mihi malum, perniciem minantur
Et fraudes omni tempore moliuntur.
14 Ego autem, tamquam surdus, non audio,
Et sum velut mutus non aperiens os suum.
15 Et factus sum sicut homo qui non audit,
Et qui non habet responsum in ore suo.
16 In te enim, Domine, confido:
Tu exaudies, Domine, Deus meus.
17 Etenim dico: Ne laetentur de me;
Dum labitur pes meus, ne superbiant contra me.
18 Ego enim lapsui proximus sum,
Et dolor meus coram me est semper.
19 Etenim culpam meam confiteor,
Et ob peccatum meum sum anxius.
20 Sed qui sine causa adversantur mihi, potentes sunt,
Et multi, qui oderunt me iniuste;
21 Et qui retribuunt malum pro bono,
Infestant me, quia bonum sector.
22 Noli me derelinquere, Domine,
Deus meus, noli procul distare a me!
23 Festina in auxilium meum,
Domine, salus mea!

XXXVIII. 1 *Magistro chori. Idithun. Psalmus. Davidis.*
2 Dixi: custodiam vias meas,
Ut non peccem lingua mea;
Frenum apponam ori meo,
Dum impius est coram me.
3 Obmutui silens, bono carens,
Sed dolor meus recruduit.
4 Incaluit cor meum intra me;
Cum consideravi, exarsit ignis:
Locutus sum lingua mea.
5 Notum fac mihi, Domine, terminum meum,

Et quae mensura sit dierum meorum.
Ut sciam, quam caducus sim ego.
6 Ecce paucorum palmorum fecisti dies meos,
Et vita mea quasi nihil est coram te:
Ut halitus tentum stat omnis homo.
7 Ut umbra tantum pertransit homo,
Inaniter tantum tumultuatur;
Coacervat nec scit quis percipiat ea.
8 Et nunc quid exspecto, Domine?
Fiducia mea est in te.
9 Ab omnibus iniquitatibus meis libera me.
Opprobrio stulti ne tradideris me.
10 Obmutui, non aperio os meum:
Tu enim fecisti.
11 Remove a me plagam tuam:
Impetu manus tuae ego consumor.
12 Correptione culpae castigas virum;
Dissolvis, ut tinea, pretiosa eius:
Halitus tantum est omnis homo.
13 Audi orationem meam, Domine,
Et clamorem meum ausculta,
Ad lacrimas meas ne fueris surdus.
Hospes enim sum apud te,
Peregrinus, sicut omnes patres mei.
14 Averte oculos a me, ut respirem,
Priusquam vadam et non sim.

XXXIX. 1 *Magistro chori. Davidis. Psalmus.*
2 Speravi, speravi in Domino,
Et inclinavit se ad me, et exaudivit clamorem meum.
3 Et extraxit me de fossa interitus, de luto caeni,
Et statuit super petram pedes meos,
Firmavit gressus meos.
4 Et posuit in ore meo canticum novum,
Carmen Deo nostro.
Videbunt multi, et verebuntur,
Et sperabunt in Domino.
5 Beatus vir, qui posuit in Domino spem suam,
Nec sectatur idolorum cultores et declinantes ad falsa.
6 Multa fecisti tu, Domine, Deus meus, mirabilia tua,
Et consiliis erga nos nemo est similis tibi.
Si ea voluerim narrare et eloqui,
Plura sunt, quam quae numerari possint.
7 Sacrificium et oblationem noluisti,
Sed aures aperuisti mihi.
Holocaustum et victimam pro peccato non postulasti:

8 Tunc dixi: Ecce venio;
In volumine libri scriptum est de me:
9 Facere voluntatem tuam, Deu meus, me delectat,
Et lex tua est in praecordiis meis.
10 Annuntiavi iustitiam in coetu magno;
Ecce labia mea non cohibui; Domine, tu nosti.
11 Iustitiam tuam non abscondi in corde meo;
Fidelitatem tuam et auxilium tuum narravi.
Non occultavi gratiam tuam
Et fidelitatem tuam coetui magno.
12 Tu, Domine, ne prohibueris miserationes tuas a me;
Gratia tua et fidelitas tua semper me conservent.
13 Nam circumdederunt me mala, quorum non est numerus,
Comprehenderunt me culpae meae, ut non possim videre.
Plures sunt quam capilli capitis mei,
Et animus meus me defecit.
14 Placeat tibi, Domine, ut eripias me,
Domine, ad adiuvandum me festina.
15 Confundantur et erubescant omnes,
Qui quaerunt vitam meam, ut auferant eam.
Cedant retrorsum et pudore afficiantur,
Qui delectantur malis meis.
16 Obstupescant propter confusionem suam,
Qui dicunt mihi: Vah, vah!
17 Exsultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te,
Et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui desiderant auxilium tuum.
18 Ego autem miser sum et pauper;
Sed Dominus sollicitus est mei.
Adiutor meus et liberator meus es tu;
Deus meus, ne tardaveris.

XL. 1 *Magistro chori. Psalmus. Davidis.*
2 Beatus qui cogitat de egeno et paupere:
Die malo salvabit eum Dominus.
3 Dominus custodiet eum, et vivum servabit eum,
Et beatum faciet eum in terra,
Nec tradet eum voluntati inimicorum eius.
4 Dominus opem feret illi in lecto doloris:
Totam infirmitatem eius auferet in morbo eius.
5 Ego dico: Domine, miserere mei;
Sana me, quia peccavi tibi.
6 Inimici mei malum de me dicunt:
Quando morietur et peribit nomen eius?
7 Et qui venit, ut invisat, loquitur inania;
Cor eius iniqua colligit sibi, foras egressus eloquitur.
8 Simul contra me susurrant omnes qui me oderunt;

Cogitant contra me quae sunt mihi mala:
9 Pestis maligna immissa est ei,
Et qui decubuit, non amplius resurget.
10 Etiam amicus meus, cui fisus sum,
Qui panem meum comedit, contra me calcaneum movit.
11 Tu autem, Domine, miserere mei, et erige me,
Ut retribuam eis.
12 Inde cognoscam te favere mihi,
Quod non exsultabit de me inimicus meus.
13 Me autem incolumem sustentabis,
Et pones me in conspectu tuo in aeternum.

14 Benedictus Dominus, Deus Israel,
A saeculo in saeculum. Fiat, fiat.

XLI. 1 *Magistro chori. Maskil. Filiorum Core.*
2 Quemadmodum desiderat cerva rivos aquarum,
Ita desiderat anima mea te, Deus.
3 Sitit anima mea Deum, Deum vivum:
Quando veniam et videbo faciem Dei?
4 Factae sunt mihi lacrimae meae panis die ac nocte,
Dum dicunt mihi cotidie: Ubi est Deus tuus?
5 Illud recordor et effundo animum meum intra me:
Quomodo incesserim in turba, praecesserim eos ad domum Dei.
Inter voces exsultationis et laudis,
In coetu festivo.
6 Quare deprimeris, anima mea,
Et tumultuaris in me?
Spera in Deum: quia rursus celebrabo eum,
Salutem vultus mei et Deum meum.
7 In me ipso anima mea deprimitur:
Ideo recordor tui ex terra Iordanis et Hermon, ex monte Misar.
8 Gurges gurgitem vocat cum fragore cataractarum tuarum:
Omnes fluctus et undae tuae super me transierunt.
9 Per diem largiatur Dominus gratiam suam,
Et nocte canam ei, laudabo Deum vitae meae.
10 Dico Deo: Petra mea, cur oblivisceris mei?
Quare tristis incedo, ab inimico oppressus?
11 Ossa mea franguntur, dum insultant mihi adversarii mei,
Dum dicunt mihi cotidie: Ubi est Deus tuus?
12 Quare deprimeris, anima mea,
Et tumultuaris in me?
Spera in Deum: quia rursus celebrabo eum,
Salutem vultus mei et Deum meum.

XLII. 1 Ius redde mihi, Deus,
Et age causam meam adversus gentem non sanctam;
Ab homine doloso et iniquo libera me,
2 Quia tu es, Deus, fortitudo mea:
Quare me reppulisti?
Quare tristis incedo, ab inimico oppressus?
3 Emitte lucem tuam et fidelitatem tuam: ipsae me ducant,
Adducant me in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.
4 Et introibo ad altare Dei,
Ad Deum laetitiae et exsultationis meae,
Et laudabo te cum cithara,
Deus, Deus meus!
5 Quare deprimeris, anima mea,
Et tumultuaris in me?
Spera in Deum: quia rursus celebrabo eum,
Salutem vultus mei et Deum meum.

XLIII. 1 *Magistro chori. Filiorum Core. Maskil.*
2 Deus, auribus nostris audivimus,
Patres nostri narraverunt nobis
Opus quod operatus es diebus eorum,
Diebus antiquis.
3 Tu, manu tua, gentibus expulsis, plantasti eos;
Attritis nationibus, dilatasti eos.
4 Neque enim gladio suo occupaverunt terram,
Nec bracchium eorum salvavit eos,
Sed dextera tua et bracchium tuum
Et serenitas vultus tui, quoniam dilexisti eos.
5 Tu es rex meus, Deus meus,
Qui tribuisti victorias Iacob.
6 Per te adversarios nostros reppulimus,
Et in nomine tuo calcavimus insurgentes in nos.
7 Neque enim in arcu meo confisus sum,
Nec gladius meus salvavit me.
8 Sed tu salvasti nos ab adversariis nostris,
Et eos, qui oderunt nos, confudisti.
9 In Deo gloriabamur omni tempore,
Et nomen tuum perpetuo celebrabamus.
10 Nunc vero reppulisti et confudisti nos,
Et non egrederis, Deus, cum exercitibus nostris.
11 Cedere nos fecisti adversariis nostris,
Et qui oderunt nos, praedati sunt sibi.
12 Tradidisti nos velut oves mactandas,
Et inter gentes dispersisti nos.
13 Vendidisti populum tuum pretio nullo,
Nec multum lucratus es venditis illis.

14 Fecisti nos opprobrium vicinis nostris,
Irrisionem et ludibrium his, qui nos circumdant.
15 Fecisti nos fabulam inter gentes,
Populi caput movent de nobis.
16 Perpetuo coram me est ignominia mea
Et confusio operit faciem meam,
17 Propter vocem exprobrantis et conviciantis,
Propter inimicum et hostem.
18 Haec omnia venerunt super nos, etsi tui non sumus obliti,
Nec violavimus foedus tuum,
19 Nec retro cessit cor nostrum
Nec gressus noster deflexit a semita tua,
20 Quando contrivisti nos in loco afflictionis,
Et caligine nos operuisti.
21 Si obliti essemus nomen Dei nostri,
Et expandissemus manus nostras ad deum alienum:
22 Nonne Deus explorata haberet ista?
Ipse enim novit abscondita cordis.
23 Sed propter te trucidamur omni tempore,
Aestimamur velut oves mactandae.
24 Expergiscere: quare dormis, Domine?
Evigila! noli repellere in perpetuum!
25 Quare faciem tuam abscondis?
Oblivisceris miseriae nostrae et oppressionis nostrae?
26 Nam prostrata est in pulverem anima nostra,
In terra iacet venter noster.
27 Exsurge in auxilium nobis,
Et libera nos propter misericordiam tuam.

XLIV. 1 *Magistro chori. Secundum Lilia... Filiorum Core. Maskil. Canticum amoris.*
2 Effundit cor meum verbum bonum:
Dico ego carmen meum regi;
Lingua mea stilus est scribae velocis.
3 Speciosus es forma prae filiis hominum,
Diffusa est gratia super labia tua:
Propterea benedixit tibi Deus in aeternum.
4 Cinge gladium tuum super femur, potentissime,
Decorem tuum et ornatum tuum!
5 Feliciter evehere pro fide et pro iustitia,
Et praeclara gesta doceat te dextera tua.
6 Sagittae tuae acutae, populi tibi subduntur,
Deficiunt corde inimici regis.
7 Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi;
Sceptrum aequitatis sceptrum regni tui.
8 Diligis iustitiam et odisti iniquitatem:
Propterea unxit te Deus, Deus tuus,

Oleo laetitiae prae consortibus tuis.
9 Myrrha et aloe et cassia fragrant vestimenta tua;
Ex aedibus eburneis fidium sonus laetificat te.
10 Filiae regum obviam veniunt tibi,
Regina adstat ad dexteram tuam ornata auro ex Ophir.
11 Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam,
Et obliviscere populum tuum et domum patris tui.
12 Et concupiscet rex pulchritudinem tuam:
Ipse est dominus tuus; obsequere ei.
13 Et populus Tyri cum muneribus venit;
Favorem tuum captant proceres plebis.
14 Tota decora ingreditur filia regis;
Texturae aureae sunt amictus eius.
15 Amictu variegato induta adducitur ad regem;
Virgines post eam, sociae eius, adducuntur ad te.
16 Afferuntur cum laetitia et exsultatione,
Ingrediuntur in palatium regis.
17 Loco patrum tuorum erunt filii tui;
Constitues eos principes super totam terram.
18 Memorabo nomen tuum in omnem generationem et generationem;
Propterea populi celebrabunt te in saeculum saeculi.

XLV. 1 *Magistro chori. Filiorum Core. Secundum Virgines... Canticum.*
2 Deus est nobis refugium et robur;
Adiutorem in angustiis probavit se valde.
3 Propterea non timemus, dum subvertitur terra,
Et montes cadunt in medium mare.
4 Tumultuentur, aestuent aquae eius,
Concutiantur montes impetu eius:
Dominus exercituum nobiscum;
Praesidium nobis est Deus Iacob.
5 Fluminis rivuli laetificant civitatem Dei,
Sanctissimum tabernaculum Altissimi.
6 Deus est in medio eius, non commovebitur;
Auxiliabitur ei Deus primo diluculo.
7 Fremuerunt gentes, commota sunt regna;
Intonuit voce sua, diffluxit terra:
8 Dominus exercituum nobiscum;
Praesidium nobis est Deus Iacob.
9 Venite, videte opera Domini,
Quae egit stupenda in terra.
10 Qui compescit bella usque ad finem terrae,
Arcus conterit et confringit hastas, et scuta comburit igni.
11 Desistite et agnoscite me Deum,
Excelsum in gentibus, excelsum in terra.

12 Dominus exercituum nobiscum;
Praesidium nobis est Deus Iacob.

XLVI. 1 *Magistro chori. Filiorum Core. Psalmus.*
2 Omnes populi, plaudite manibus,
Exsultate Deo voce laetitiae,
3 Quoniam Dominus excelsus, terribilis,
Rex magnus super omnem terram.
4 Subicit populos nobis,
Et nationes pedibus nostris.
5 Eligit nobis hereditatem nostram,
Gloriam Iacob, quem diligit.
6 Ascendit Deus cum exsultatione,
Dominus cum voce tubae.
7 Psallite Deo, psallite;
Psallite regi nostro, psallite.
8 Quoniam rex omnis terrae est Deus,
Psallite hymnum.
9 Deus regnat super nationes,
Deus sedet super solium sanctum suum.
10 Principes populorum congregati sunt
Cum populo Dei Abraham.
Nam Dei sunt proceres terrae:
Excelsus est valde.

XLVII. 1 *Canticum. Psalmus. Filiorum Core.*
2 Magnus Dominus et laudabilis valde,
In civitate Dei nostri.
Mons sanctus eius, 3 collis praeclarus,
Gaudium est universae terrae;
Mons Sion, aquilo extremus,
Civitas est Regis magni.
4 Deus in arcibus eius
Sese probavit munimen tutum
5 Ecce enim reges congregati sunt,
Irruerunt simul.
6 Vixdum viderant, obstupuerunt,
Conturbati sunt, diffugerunt.
7 Tremor invasit eos ibidem,
Dolor velut parturientis,
8 Ut cum ventus Orientis
Confringit naves Tharsis.
9 Sicut audivimus, sic vidimus,
In civitate Domini exercituum,
In civitate Dei nostri:
Deus confirmat eam in aeternum.

10 Recolimus, Deus, misericordiam tuam
Intra templum tuum.
11 Sicut nomen tuum, Deus, sic et laus tua
Pertingit ad fines terrae.
Iustitia plena est dextera tua:
12 Laetetur mons Sion,
Exsultent civitates Iuda
Proper iudicia tua.
13 Perlustrate Sion, et circuite eam,
Numerate turres eius.
14 Considerate propugnacula eius,
Percurrite arces eius,
Ut enarretis generationi futurae:
15 Tantus est Deus,
Deus noster in aeternum et semper:
Ipse nos ducet.

XLVIII. 1 *Magistro chori. Filiorum Core. Psalmus.*
2 Audite haec, omnes gentes;
Auribus percipite omnes qui habitatis orbem,
3 Humiles natu aeque ac proceres,
Pari modo dives et pauper.
4 Os meum loquetur sapientiam,
Et meditatio cordis mei intellegentiam.
5 Inclinabo in proverbium aurem meam,
Pandam ad sonum lyrae aenigma meum.
6 Quare timeam diebus malis,
Cum nequitia insidiantium me circumdat,
7 Qui confidunt opibus suis,
Et de multitudine divitiarum suarum gloriantur?
8 Neque enim quisquam liberabit seipsum,
Non dabit Deo pretium redemptionis suae:
9 Nimio constat liberatio animae eius neque unquam sufficiet,
10 Ut vivat ultra in aeternum nec videat interitum.
11 Videbit enim mori sapientes,
Pariter interire insipientem et stultum,
Relinquere alienis divitias suas.
12 Sepulcra sunt domus eorum in aeternum,
Habitacula eorum in progeniem et progeniem,
Quantumvis nominibus suis appellaverint terras.
13 Homo enim in opulentia non permanebit:
Similis est pecudibus quae pereunt.
14 Haec via eorum, qui stulte confidunt,
Et hic finis eorum, qui sorte sua delectantur.
15 Sicut oves in inferno ponuntur;
Mors pascit eos, et iusti dominantur in eos.

Cito figura eorum absumetur,
Infernus erit domus eorum.
16 Verumtamen Deus liberabit ab inferis animam meam,
Eo quod me assumet.
17 Ne timueris, si quis factus sit dives,
Si creverint opes domus eius:
18 Neque enim, cum morietur, quidquam tollet secum,
Neque opes eius cum eo descendent.
19 Etsi in vita sua benedixit sibi:
Praedicabunt te, quod bene fecisti tibi.
20 Ibit ad coetum patrum suorum,
Qui in aeternum non videbunt lumen.
21 Homo in opulentia vivens neque considerans,
Similis est pecudibus quae pereunt.

XLIX. 1 *Psalmus. Asaphi.*
Deus Dominus locutus est et vocavit terram
A solis ortu usque ad occasum.
2 Ex Sion, plena decore, Deus affulsit:
3 Advenit Deus noster nec silet.
Ignis consumens praecedit eum,
Et circa eum tempestas furit.
4 Vocat caelos desursum et terram,
Iudicaturus populum suum:
5 Congregate mihi sanctos meos,
Qui pepigerunt foedus meum cum sacrificio.
6 Et caeli annuntiant iustitiam eius,
Quoniam Deus ipse est iudex.
7 Audi, popule meus, et loquar,
Israel, et testabor contra te:
Deus, Deus tuus sum ego,
8 Non de sacrificiis tuis te reprehendo,
Nam holocausta tua coram me sunt semper.
9 Non accipiam de domo tua vitulum,
Neque de gregibus tuis hircos:
10 Nam meae sunt omnes ferae silvarum,
Bestiarum milia in montibus meis.
11 Novi omnia volatilia caeli,
Et quod in agro movetur, notum est mihi.
12 Si esuriero, non dicam tibi:
Meus enim est orbis et quod eum replet.
13 Num comedam carnes taurorum,
Aut sanguinem hircorum bibam?
14 Immola Deo sacrificium laudis,
Et redde Altissimo vota tua.
15 Et invoca me die angustiae:

Liberabo te, et honorabis me.
16 Peccatori autem dicit Deus:
Quare tu enarras praecepta mea,
Et habes in ore tuo foedus meum?
17 Tu, qui odisti disciplinam
Et proiecisti verba mea post te?
18 Cum videbas furem, currebas cum eo,
Et cum adulteris pars tua erat.
19 Os tuum laxabas ad malum,
Et lingua tua concinnabat dolos.
20 Sedens, adversus fratrem tuum loquebaris,
Filium matris tuae afficiebas opprobrio.
21 Haec fecisti, et ego tacebo?
Existimasti me esse similem tui?
Arguam te, et pandam ea ante oculos tuos.
22 Intellegite haec, immemores Dei,
Ne rapiam nec sit qui salvos reddat.
23 Qui immolat sacrificium laudis, honorat me,
Et qui ambulat recte, illi ostendam salutem Dei.

L. 1 *Magistro chori. Psalmus. Davidis,* 2 *cum venit ad eum Nathan propheta, postquam cum Bethsabee peccavit.*
3 Miserere mei, Deus, secundum misericordiam tuam;
Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.
4 Penitus lava me a culpa mea,
Et a peccato meo munda me.
5 Nam iniquitatem meam ego agnosco,
Et peccatum meum coram me est semper.
6 Tibi soli peccavi
Et, quod malum est coram te, feci,
Ut manifesteris iustus in sententia tua,
Rectus in iudicio tuo.
7 Ecce, in culpa natus sum,
Et in peccato concepit me mater mea.
8 Ecce, sinceritate cordis delectaris,
Et in praecordiis sapientiam me doces.
9 Asperge me hyssopo, et mundabor;
Lava me, et super nivem dealbabor.
10 Fac me audire gaudium et laetitiam,
Exsultent ossa quae contrivisti.
11 Averte faciem tuam a peccatis meis,
Et omnes culpas meas dele.
12 Cor mundum crea mihi, Deus,
Et spiritum firmum renova in me.
13 Ne proieceris me a facie tua,
Et spiritum sanctum tuum ne abstuleris a me.

14 Redde mihi laetitiam salutis tuae,
Et spiritu generoso confirma me.
15 Docebo iniquos vias tuas,
Et peccatores ad te convertentur.
16 Libera me a poena sanguinis, Deus, Deus salvator meus:
Exsultet lingua mea de iustitia tua.
17 Domine, labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
18 Neque enim sacrificio delectaris;
Et holocaustum, si darem, non acceptares.
19 Sacrificium meum, Deus, spiritus contritus,
Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.
20 Benigne fac, Domine, pro bonitate tua, erga Sion,
Ut reaedifices muros Ierusalem.
21 Tunc acceptabis sacrificia legitima, oblationes et holocausta,
Tunc offerent super altare tuum vitulos.

LI. 1 *Magistro chori. Maskil. Davidis,* 2 *postquam Doeg Edomita ad Saul venit eique narravit dicens: David intravit in domum Abimelech.*
3 Quid gloriaris in malitia,
Praepotens infamis?
Omni tempore 4 meditaris perniciem,
Lingua tua est velut novacula acuta, patrator doli.
5 Diligis malum magis quam bonum,
Mendacium magis quam loqui iusta.
6 Diligis omnes sermones perniciosos,
Lingua dolosa!
7 Ideo Deus destruet te,
In sempiternum te removebit,
Extrahet te de tentorio
Et eradicabit te de terra viventium.
8 Videbunt iusti et timebunt
Et de illo ridebunt:
9 Ecce homo qui non statuit
Deum praesidium suum,
Sed speravit in multitudine divitiarum suarum,
Invaluit sceleribus suis.
10 Ego autem sicut oliva virens in domo Dei;
Confido in misericordia Dei in sempiternum.
11 Celebrabo te in saeculum, quia egisti,
Et praedicabo nomen tuum,
Quia bonum est, in conspectu sanctorum tuorum.

LII. 1 *Magistro chori. Secundum Mahalat. Maskil. Davidis.*
2 Dicit insipiens in corde suo:
Non est Deus.

Corrupti sunt, abominanda egerunt;
Non est, qui faciat bonum.
3 Deus de caelo prospicit super filios hominum,
Ut videat, num sit qui intellegat et quaerat Deum.
4 Omnes simul aberraverunt, depravati sunt;
Non est qui faciat bonum, non est nec unus.
5 Nonne resipiscent, qui faciunt iniquitatem,
Qui devorant populum meum, sicut comedunt panem,
Non invocant Deum?
6 Ibi trepidaverunt timore,
Ubi non erat timor,
Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui te obsidebant;
Confusi sunt, quoniam Deus abiecit eos.
7 Utinam veniat ex Sion salus Israel!
Cum verterit Deus sortem populi sui,
Exsultabit Iacob, laetabitur Israel.

LIII. 1 *Magistro chori. Fidibus. Maskil. Davidis,* 2 *postquam Ziphaei ad Saul venerunt dicentes: Ecce, David apud nos abditus latet.*
3 Deus, in nomine tuo salvum me fac,
Et virtute tua age causam meam.
4 Deus, audi orationem meam;
Auribus percipe verba oris mei.
5 Nam superbi insurrexerunt contra me,
Et violenti quaesierunt vitam meam;
Non proposuerunt Deum ante oculos suos.
5 Ecce, Deus, audivat me,
Dominus sustentat vitam meam.
6 Retorque malum in adversarios meos,
Et pro fidelitate tua destrue illos.
7 Voluntarie sacrificabo tibi,
Celebrabo nomen tuum, Domine, quia bonum est.
8 Nam ex omni tribulatione eripuit me,
Et inimicos meos confusos vidit oculus meus.

LIV. 1 *Magistro chori. Fidibus. Maskil. Davidis.*
2 Auribus percipe, Deus, orationem meam,
Nec te subtraxeris supplicationi meae,
3 Attende mihi et exaudi me.
Agitor in angore meo,
Et conturbor 4 propter vocem inimici,
Ob clamorem peccatoris.
Quoniam inferunt mihi mala
Et in ira me infestant.
5 Cor meum conturbatur in me,
Et pavor mortis cadit super me.

6 Timor et tremor veniunt super me,
Et operit me horror.
7 Et dico: o si haberem pennas sicut columba,
Avolarem et quiescerem;
8 Ecce, longe discederem,
Manerem in deserto.
9 Quaererem cito perfugium mihi
A turbine et procella.
10 Dissipa, Domine, divide linguas eorum;
Nam video violentiam et discordiam in civitate:
11 Die ac nocte circumeunt eam super muros eius,
Et iniquitas et oppressio sunt in medio eius.
12 Insidiae sunt in medio eius,
Et de plateis eius non recedunt iniuria et dolus.
13 Si inimicus exprobrasset mihi,
Sustinuissem utique;
Si is, qui odit me, contra me insurrexisset,
Abscondissem me ab eo.
14 Sed eras tu, sodalis meus,
Amicus et familiaris meus,
15 Quocum dulce habui consortium,
In domo Dei ambulavimus in coetu festivo.
16 Irruat mors super illos,
Viventes ad inferos descendant,
Quoniam nequitiae in habitationibus eorum, in medio eorum!
17 Ego autem ad Deum clamabo,
Et Dominus salvabit me.
18 Vespere et mane et meridie lamentabor et gemam,
Et audiet vocem meam.
19 Redimet in pacem animam meam ab iis qui me infestant:
Nam multi sunt contra me.
20 Audiet Deus, deprimetque eos, qui regnat ab aeterno;
Neque enim mutantur nec timent Deum:
21 Extendit suas quisque manus contra familiares suos,
Violat pactum suum.
22 Blandior butyro est facies eius,
Sed cor eius pugnax.
Molliores oleo sunt sermones eius,
Sed sunt gladii stricti.
23 Proice super Dominum curam tuam,
Et ipse te sustentabit:
Non sinet in perpetuum vacillare iustum.
24 Et tu, Deus, deduces eos
In puteum interitus;
Viri sanguinum et dolosi non complebunt dimidium dierum suorum,
Ego autem spero in te, Domine.

LV. 1 *Magistro chori. Secundum Yonat elem rehoqim. Davidis. Miktam. Cum Philistaei eum tenerent in Gath.*
2 Miserere mei, Deus, nam conculcat me homo,
Perpetuo pugnans opprimit me.
3 Conculcant me inimici mei perpetuo,
Quoniam multi pugnant adversum me.
Altissime, 4 quo die invadet me timor,
Ego in te confidam.
5 In Deo, cuius celebro promissum,
In Deo confido, non timebo:
Quid faciet mihi caro?
6 Toto die obtrectant mihi,
Adversum me sunt omnes cogitationes eorum, ad malum.
7 Conveniunt, insidiantur,
Vestigia mea observant, quaerentes vitam meam.
8 Pro iniquitate repende illis,
In ira populos prosterne, Deus.
9 Exsilii mei vias tu notasti;
Reconditae sunt lacrimae meae in utre tuo:
Nonne consignatae in libro tuo?
10 Tunc recedent inimici mei retrorsum,
Quandocumque invocavero te;
Hoc probe scio Deum esse pro me.
11 In Deo, cuius celebro promissum,
In Deo confido, non timebo:
Quid faciet mihi homo?
12 Teneor votis, Deus, quae feci tibi,
Persolvam tibi sacrificia laudis,
13 Quoniam eripuisti vitam meam de morte,
Et pedes meos de lapsu,
Ut ambulem coram Deo in lumine viventium.

LVI. 1 *Magistro chori. Secundum Ne destruxeris. Davidis. Miktam. Quando a Saul in cavernam fugit.*
2 Miserere mei, Deus, miserere mei,
Quia ad te confugit anima mea,
Et in umbra alarum tuarum confugio,
Donec transeat calamitas.
3 Clamo ad Deum altissimum,
Ad Deum qui bene facit mihi.
4 Mittat de caelo et salvet me,
Opprobriis afficiat eos qui me persequuntur;
Mittat Deus gratiam suam et fidelitatem.
5 In medio leonum decumbo,
Qui avide devorant filios hominum.
Dentes eorum sunt lanceae et sagittae,

Et lingua eorum gladius acutus.
6 Excelsus appare super caelos, Deus;
Super omnem terram sit gloria tua.
7 Rete paraverunt gressibus meis:
Depresserunt animam meam;
Foderunt ante me fossam:
Cadant in eam.
8 Firmum es cor meum, Deus, firmum cor meum;
Cantabo et psallam.
9 Evigila, anima mea; evigilate, psalterium et cithara!
Excitabo auroram.
10 Laudabo te in populis, Domine;
Psallam tibi in nationibus,
11 Quoniam magna est usque ad caelum misericordia tua,
Et usque ad nubes fidelits tua.
12 Excelsus appare super caelos, Deus;
Super omnem terram sit gloria tua!

LVII. 1 *Magistro chori. Secundum Ne destruxeris. Davidis. Miktam.*
2 Num vere dicitis ius, potentes?
Num iudicatis recte, filii hominum?
3 Immo in corde iniquitates patratis,
In terra iniustitias dispensant manus vestrae.
4 Deviaverunt impii inde a sinu matris,
Inde ab utero erraverunt, qui mendacium dicunt.
5 Venenum est illis simile veneno serpentis,
Veneno aspidis surdae, quae aures suas obturat,
6 Ne audiat vocem fascinatorum,
Incantatoris incantantis perite.
7 Deus, contere dentes eorum in ore ipsorum;
Molares leonum confringe, Domine.
8 Dissolvantur quasi aquae, quae defluunt;
Si dirigunt sagittas suas, sint velut obtusae.
9 Transeant sicut limax, quae diffluit,
Quasi fetus abortivus mulieris, qui solem non vidit.
10 Priusquam ollae vestrae senserint veprem,
Dum est viridis, aestus turbinis abripiat eum.
11 Laetabitur iustus, cum viderit vindictam,
Pedes suos lavabit in sanguine iniqui.
12 Et dicent homines: Utique est fructus iusto,
Utique est Deus, iudicans in terra.

LVIII. 1 *Magistro chori. Secundum Ne destruxeris. Davidis. Miktam. Quando Saul viros misit qui domum observarent, ut eum occiderent.*
2 Eripe me de inimicis meis, Deus meus,
Ab insurgentibus contra me tuere me.

3 Eripe me de patrantibus iniquitatem,
Et a viris sanguinum salva me.
4 Ecce enim insidiantur vitae meae,
Conspirant contra me potentes.
5 Non est crimen in me nec peccatum, Domine:
Sine culpa mea procurrunt et aggrediuntur.
Evigila, occurre mihi, et vide;
6 Nam tu, Domine exercituum, Deus Israel es.
Expergiscere, castiga omnes gentes,
Noli misereri omnium perfidorum.
7 Revertuntur vespere, latrant ut canes
Et percurrunt civitatem;
8 Ecce se iactant ore suo; contumeliae sunt in labiis eorum:
Quis enim audit?
9 Sed tu, Domine, irrides eos,
Ludibrio habes omnes gentes.
10 Robur meum, ad te attendam,
Quia tu, Deus, praesidium meum es,
11 Deus meus, misericordia mea.
Subveniat mihi Deus,
Faciat ut delecter de hostibus meis.
12 Deus, occide eos, ne offensae sint populo meo,
Conturba eos robore tuo et prosterne eos,
Clipeus noster, Domine.
13 Peccatum oris eorum est sermo labiorum eorum,
Et capiantur superbia sua et maledictis et mendaciis quae dicunt.
14 Perde eos in ira, perde, ut iam non sint,
Ut sciatur Deum regnare in Iacob et usque ad fines terrae.
15 Revertuntur vespere, latrant ut canes,
Et percurrunt civitatem;
16 Vagantur cibum quaerentes;
Si satiati non sunt, ululatum edunt.
17 Ego autem cantabo potentiam tuam,
Et exsultabo mane de misericordia tua,
Quia factus es praesidium mihi,
Et refugium die angustiae meae.
18 Robur meum, tibi psallam,
Quia, Deus, praesidium meum es,
Deus meus, misericordia mea.

LIX. 1 *Magistro chori. Secundum Lilium legis. Miktam. Davidis. Ad docendum.* 2
Quando contra Aram Naharaim et contra Aram Soba egressus est, et quando Ioab reversus devicit Edom in valle salis: 12000 (hominum).
3 Deus, reppulisti nos, perfregisti acies nostras,
Iratus es: restitue nos.
4 Concussisti terram, scidisti eam;

Sana rupturas eius: nam vacillat.
5 Imposuisti populo tuo dura;
Potasti nos vino inebrianti.
6 Statuisti timentibus te vexillum,
Ut fugerent ab arcu;
7 Ut liberentur dilecti tui,
Adiuva dextera tua, et exaudi nos.
8 Deus locutus est in sanctuario suo:
Exsultabo et partibor Sichem,
Et vallem Succoth dimetiar.
9 Mea est terra Galaad, et mea terra Manasse,
Et Ephraim galea capitis mei, Iuda sceptrum meum,
10 Moab pelvis lotionis meae;
Super Edom ponam calceamentum meum,
De Philistaea triumphabo.
11 Quis adducet me in civitatem munitam?
Quis deducet me usque in Edom?
12 Nonne tu, Deus, qui reppulisti nos,
Nec iam egrederis, Deus, cum exercitibus nostris?
13 Da nobis auxilium contra inimicum,
Quia vanum est subsidium hominum.
14 Per Deum fortiter agemus,
Et ipse conculcabit inimicos nostros.

LX. 1 *Magistro chori. Fidibus. Davidis.*
2 Audi, Deus, clamorem meum,
Intende orationi meae.
3 Ab extremis terrae ad te clamo,
Cum deficit cor meum.
In petram extolles me, dabis quietam mihi,
4 Quia praesidium es mihi, turris fortis contra inimicum.
5 Utinam habitem in tabernaculo tuo semper,
Confugiam sub tegmen alarum tuarum!
6 Tu enim, Deus, audisti vota mea;
Dedisti mihi hereditatem timentium nomen tuum.
7 Dies adice ad dies regis,
Anni eius aequent generationes multas;
8 Regnet in aeternum coram Deo;
Gratiam et fidelitatem mitte, ut conservent eum.
9 Sic cantabo nomen tuum semper,
Et solvam vota mea omni die.

LXI. 1 *Magistro chori. Secundum Idithun. Psalmus. Davidis.*
2 In Deo tantum quiescit anima mea,
Ab ipso venit salus mea.
3 Ipse tantum est petra mea et salus mea,

Praesidium meum: nequaquam movebor.
4 Quousque irruitis in hominem, subvertitis eum omnes,
Ut parietem inclinatum, ut murum ruentem?
5 Profecto e loco meo excelso moliuntur me pellere,
Delectantur mendacio;
Ore suo benedicunt,
Et in corde maledicunt.
6 In Deo tantum quiesce, anima mea,
Quia ab ipso venit quod spero.
7 Ipse tantum est petra mea et salus mea,
Praesidium meum: non movebor.
8 Penes Deum est salus mea et gloria mea,
Petra roboris mei: refugium meum in Deo.
9 Spera in eo, popule, omni tempore;
Effundite coram eo corda vestra:
Deus est refugium nobis!
10 Halitus tantum sunt filii hominum,
Fallaces filii virorum:
In statera in altum ascendunt,
Leviores quam halitus omnes simul.
11 Nolite confidere oppressioni, neque in rapina vane gloriari;
Opibus, si crescant, ne adhaeseritis corde.
12 Unum locutus est Deus; haec duo audivi:
Deo potentia est, 13 et tibi, Domine, gratia;
Nam tu reddes unicuique secundum opus eius.

LXII. 1 *Psalmus. Davidis, cum in deserto Iuda commoraretur.*
2 Deus, Deus meus es:
Sollicite te quaero;
Te sitit anima mea, desiderat te caro mea,
Ut terra arida et sitiens, sine aqua.
3 Sic in sanctuario contemplor te,
Ut videam potentiam tuam et gloriam tuam.
4 Quia melior est gratia tua quam vita,
Labia mea praedicabunt te.
5 Sic benedicam tibi in vita mea:
In nomine tuo attollam manus meas.
6 Sicut adipe et pinguedine satiabitur anima mea,
Et labiis exsultantibus laudabit os meum,
7 Cum memor ero tui super stratum meum,
In vigiliis meditabor de te.
8 Etenim factus es adiutor meus,
Et in umbra alarum tuarum exsulto:
9 Adhaeret anima mea tibi,
Me sustentat dextera tua.
10 Qui autem perdere quaerunt animam meam,

Introibunt in profunda terrae.
11 Tradentur in manus gladii,
Portio vulpium erunt.
12 Rex vero laetabitur in Deo,
Gloriabitur omnis qui iurat per eum,
Quia obstruetur os loquentium iniqua.

LXIII. 1 *Magistro chori. Psalmus. Davidis.*
2 Audi, Deus, vocem meam, dum queror;
A timore inimici custodi vitam meam.
3 Protege me a concilio malignorum,
A tumultu agentium iniqua.
4 Qui acuunt ut gladium linguas suas,
Dirigunt ut sagittas verba venenata,
5 Ut feriant ex latebris innocentem,
De improviso feriant eum nihil timentes.
6 Firmiter proponunt sibi rem malam,
Conspirant de laqueis tendendis occulte,
Dicunt: Quis nos videbit?
7 Excogitant nefaria, occultant cogitationes excogitatas,
Et mens cuiusque et cor sunt profunda.
8 Sed Deus ferit eos sagittis,
De improviso percutiuntur vulneribus,
9 Et ruinam parat eis lingua ipsorum:
Capita movent omnes qui vident eos.
10 Et omnes timent et praedicant opus Dei,
Et perpendunt acta eius.
11 Laetatur iustus in Domino et confugit ad eum,
Et gloriantur omnes recti corde.

LXIV. 1 *Magistro chori. Psalmus. Davidis. Canticum.*
2 Te decet hymnus, Deus, in Sion
Et tibi reddatur votum, 3 qui exaudis preces.
Ad te omnis caro venit
4 Propter iniquitates.
Opprimunt nos delicta nostra:
Tu ea dimittis.
5 Beatus, quem eligis et assumis:
Inhabitat in atriis tuis.
Satiemur bonis domus tuae,
Sanctitate templi tui.
6 Signis stupendis exaudis nos cum iustitia,
Deus, salvator noster,
Spes omnium finium terrae
Et marium procul,
7 Qui firmas montes virtute tua,

Accintus potentia.
8 Qui compescis sonitum maris,
Sonitum fluctuum eius et tumultum nationum:
9 Et timent, qui habitant terminos terrae, propter signa tua;
Extrema Orientis et Occidentis gaudio reples.
10 Visitasti terram et irrigasti eam,
Multum locupletasti eam.
Rivus Dei repletus est aquis,
Parasti frumentum eorum;
Ita enim parasti eam:
11 Sulcos eius irrigasti,
Complanasti glebas eius,
Imbribus eam mollisti,
Benedixisti germini eius.
12 Coronasti annum benignitate tua,
Et semitae tuae pinguedinem stillant.
13 Stillant pascua deserti,
Et colles exsultatione se cingunt.
14 Vestiuntur gregibus arva,
Et valles operiuntur frumento:
Acclamant et cantant.

LXV. 1 *Magistro chori. Canticum. Psalmus.*
Exsultate Deo, omnes terrae,
2 Cantate gloriam nominis eius,
Laudem praeclaram reddite ei.
3 Dicite Deo: quam stupenda sunt opera tua!
Ob magnitudinem roboris tui blandiuntur tibi inimici tui.
4 Tota terra adoret te et cantet tibi,
Cantet nomen tuum.
5 Venite et videte opera Dei:
Stupenda patravit inter filios hominum!
6 Convertit mare in aridum;
Pedibus flumen transierunt:
Ideo laetemur de eo!
7 Dominatur potentia sua in aeternum;
Oculi eius gentes observant:
Rebelles ne se extollant.
8 Benedicite, gentes, Deo nostro
Et annuntiate famam laudis eius,
9 Qui dedit animae nostrae vitam,
Nec sivit commoveri pedem nostrum.
10 Nam probasti nos, Deus;
Igne nos examinasti sicut examinatur argentum;
11 Induxisti nos in laqueum;
Onus grave imposuisti lumbis nostris;

12 Incedere fecisti homines super capita nostra;
Transivimus per ignem et aquam:
Sed relaxationem dedisti nobis.
13 Introibo domum tuam cum holocaustis,
Reddam tibi vota mea,
14 Quae protulerunt labia mea
Quaeque promisit os meum in tribulatione mea.
15 Holocausta ovium pinguium offeram tibi cum adipe arietum:
Immolabo boves cum hircis.
16 Venite, audite et narrabo, omnes qui timetis Deum,
Quanta fecerit animae meae!
17 Ad ipsum ore meo clamavi,
Et laudavi eum lingua mea.
18 Iniquitatem si intendissem in corde meo,
Non exaudisset Dominus.
19 Sed exaudivit Deus:
Attendit voci precationis meae.
20 Benedictus Deus, qui non reppulit precationem meam,
Neque amovit a me misericordiam suam.

LXVI. 1 *Magistro chori. Fidibus. Psalmus. Canticum.*
2 Deus misereatur nostri, et benedicat nobis;
Serenum praebeat nobis vultum suum,
3 Ut cognoscant in terra viam eius,
In omnibus gentibus salutem eius.
4 Celebrent te populi, Deus,
Celebrent te populi omnes.
5 Laetentur et exsultent nationes,
Quod regis populos cum aequitate,
Et nationes in terra gubernas.
6 Celebrent te populi, Deus,
Celebrent te populi omnes.
7 Terra dedit fructum suum:
Benedixit nobis Deus, Deus noster.
8 Benedicat nobis Deus,
Et timeant eum omnes fines terrae!

LXVII. 1 *Magistro chori. Davidis. Psalmus. Canticum.*
2 Exsurgit Deus, dissipantur inimici eius,
Et fugiunt, qui oderunt eum, a facie eius.
3 Sicut dispergitur fumus, disperguntur,
Sicut diffluit cera ante ignem, sic pereunt peccatores ante Deum.
4 Iusti autem laetantur, exsultant in conspectu Dei,
Et delectantur in laetitia.
5 Cantate Deo, psallite nomini eius;
Sternite viam ei qui vehitur per desertum,

Cui nomen est Dominus,
Et exsultate coram eo.
6 Pater orphanorum et tutor viduarum
Deus est in habitaculo sancto suo.
7 Deus domum parat derelictis,
Educit captivos ad prosperitatem:
Rebelles tantum degunt in torrida terra.
8 Deus, cum exires ante populum tuum,
Cum incederes per desertum,
9 Terra mota est, caeli quoque stillarunt ante Deum,
Tremuit Sinai ante Deum, Deum Israel.
10 Pluviam copiosam demisisti, Deus, in hereditatem tuam,
Et fatigatam tu refecisti.
11 Grex tuus habitavit in ea,
Parasti eam in bonitate tua pauperi, Deus.
12 Dominus proferi verbum;
Laeta nuntiantium multitudo est magna:
13 Reges exercituum fugiunt, fugiunt;
Et incolae domus dividunt praedam.
14 Dum quiescebatis inter caulas gregum,
Alae columbae nitebant argento,
Et pennae eius flavore auri.
15 Dum Omnipotens illic dispergebat reges,
Nives ceciderunt in Salmon!
16 Montes excelsi sunt montes Basan,
Clivosi montes sunt montes Basan:
17 Cur invidiosi aspicitis, montes clivosi,
Montem in quo habitare placuit Deo,
Immo in quo habitabit Dominus semper?
18 Currus Dei myriades sunt, mille et mille:
Dominus de Sinai in sanctuarium venit.
19 Ascendisti in altum, duxisti captivos,
Accepisti in donum homines,
Vel eos qui nolunt habitare apud Dominum Deum.
20 Benedictus Dominus per singulos dies:
Portat onera nostra Deus, salus nostra!
21 Deus noster est Deus qui salvat,
Et Dominus Deus dat evasionem a morte.
22 Profecto, Deus confringit capita inimicorum suorum,
Verticem capillatum eius qui ambulat in delictis suis.
23 Dixit Dominus: Ex Basan reducam,
Reducam e profundo maris,
24 Ut intingas pedem tuum in sanguine,
Ut linguis canum tuorum sit portio ex inimicis.
25 Vident ingressum tuum, Deus,
Ingressum Dei mei, regis mei, in sanctum:

26 Praecedunt cantores, postremi sunt citharoedi,
In medio puellae tympana sonant.
27 In coetibus festivis benedicite Deo,
Domino vos, ex Israel nati.
28 Ibi est Beniamin, minimus natu, praecedens eos,
Principes Iuda cum turmis suis,
Principes Zabulon, principes Nephtali.
29 Exsere, Deus, potentiam tuam,
Potentiam, Deus, qui operaris pro nobis!
30 Propter templum tuum, quod est in Ierusalem,
Tibi offerant reges munera!
31 Increpa feram arundinis,
Turmam taurorum cum vitulis populorum,
Prosternant se cum laminis argenti:
Dissipa gentes quae bellis laetantur.
32 Veniant magnantes ex Aegypto,
Aethiopia extendat manus suas ad Deum.
33 Regna terrae, cantate Deo, psallite Domino,
34 Qui vehitur per caelos, caelos antiquos!
Ecce, edit vocem suam, vocem potentem:
35 Agnoscite potentiam Dei!
Super Israel maiestas eius,
Et potentia eius in nubibus.
36 Timendus est Deus e sancto suo, Deus Israel;
Ipse potentiam dat et robur populo suo.
Benedictus Deus!

LXVIII. 1 *Magistro chori. Secudum Lilia... Davidis.*
2 Salvum me fac, Deus,
Quoniam venerunt aquae usque ad collum.
3 Immersus sum in limo profundi,
Et non est, ubi pedem figam;
Veni in altum aquarum,
Et fluctus obruunt me.
4 Defessus sum clamando,
Raucae factae sunt fauces meae;
Defecerunt oculi mei,
Dum exspecto Deum meum.
5 Plures sunt quam capilli capitis mei,
Qui oderunt me sine causa,
Validiores quam ossa mea,
Qui iniuste adversantur mihi;
Num, quae non rapui, illa reddam?
6 Deus, tu scis insipientiam meam,
Et delicta mea te non latent.
7 Ne confundantur propter me, qui sperant in te,

Domine, Domine exercituum.
Ne erubescant propter me,
Qui quaerunt te, Deus Israel.
8 Etenim propter te sustinui opprobrium,
Operuit confusio faciem meam.
9 Extraneus factus sum fratribus meis,
Et alienus filiis matris meae.
10 Nam zelus domus tuae comedit me,
Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.
11 Afflixi ieiunio animam meam,
Et versum est in opprobrium mihi.
12 Saccum indui pro vestimento,
Et ludibrio factus sum illis.
13 Fabulantur contra me qui sedent in porta,
Et conviciantur mihi, qui bibunt vinum.
14 Mea autem oratio ad te, Domine,
Tempore gratiae, Deus;
Secundum magnam bonitatem tuam exaudi me,
Secundum auxilium tuum fidele.
15 Eripe me de luto, ne submergar,
Libera me ab iis qui me oderunt,
Et de profundis aquarum.
16 Ne obruant me fluctus aquarum,
Neve absorbeat me profundum,
Neve occludat super me puteus os suum.
17 Exaudi me, Domine, quia benigna est gratia tua;
Secundum multitudinem misericordiae tuae respice in me,
18 Neque absconderis faciem tuam a servo tuo;
Quoniam tribulor, cito exaudi me.
19 Appropinqua ad animam meam, redime eam;
Propter inimicos meos libera me.
20 Tu scis opprobrium meum et confusionem meam et ignominiam meam;
In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me.
21 Opprobrium fregit cor meum et defeci,
Et exspectavi commiserantem, sed non fuit,
Et consolantes, sed non inveni.
22 Et indiderunt in escam meam fel,
Et in siti mea potaverunt me aceto.
23 Fiat mensa eorum laqueus ipsis,
Et amicis tendicula.
24 Obscurentur oculi eorum, ne videant,
Et lumbi eorum fac semper vacillent.
25 Effunde super eos indignationem tuam,
Et aestus irae tuae comprehendat eos.
26 Habitatio eorum devastetur,
Et in tabernaculis eorum ne sit qui habitet.

27 Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt,
Et dolorem eius quem vulnerasti, adauxerunt.
28 Adde culpam ad culpam eorum,
Et apud te ne declarentur iusti.
29 Deleantur de libro viventium,
Et cum iustis ne scribantur.
30 Ego autem sum miser et dolens;
Auxilium tuum, Deus, tueatur me.
31 Laudabo nomen Dei cum cantico,
Et praedicabo eum cum gratiarum actione.
32 Et placebit Deo magis quam taurus,
Quam iuvencus cornutus et ungulatus.
33 Videte, humiles, et laetamini,
Et reviviscat cor vestrum, qui quaeritis Deum.
34 Quia pauperes audit Dominus,
Et vinctos suos non contemnit.
35 Laudent eum caeli et terra,
Maria et quidquid movetur in eis.
36 Nam Deus salvabit Sion,
Et aedificabit civitates Iuda:
Et habitabunt ibi et possidebunt eam.
37 Et semen servorum eius hereditabit eam;
Et qui diligunt nomen eius, morabuntur in ea.

LXIX. 1 *Magistro chori. Davidis. Ad commemorandum.*
2 Placeat tibi, Deus, ut eripias me;
Domine, ad adiuvandum me festina.
3 Confundantur, et erubescant,
Qui quaerunt vitam meam.
Cedant retrorsum, et pudore afficiantur,
Qui delectantur malis meis.
4 Recedant confusione operti,
Qui dicunt mihi: Vah, Vah!
5 Exsultent et laetentur de te
Omnes qui quaerunt te;
Et dicant semper: Magnificetur Deus,
Qui desiderant auxilium tuum.
6 Ego autem miser sum et pauper,
Deus, succurre mihi!
Adiutor meus et liberator meus es tu:
Domine, ne tardaveris.

LXX. 1 Ad te, Domine, confugio:
Ne confundar in aeternum;
2 Secundum iustitiam tuam eripe me et libera me;
Inclina ad me aurem tuam et salva me.

3 Esto mihi petra refugii, arx munita, ut salves me:
Nam petra mea et arx mea es tu.
4 Deus meus, eripe me de manu iniqui,
De pugno improbi et oppressoris:
5 Nam tu es exspectatio mea, Deus meus,
Domine, spes mea a iuventute mea.
6 Tibi innixus sum ab utero;
A ventre matris meae eras protector meus:
In te speravi semper.
7 Tamquam prodigium apparui multis;
Tu enim fuisti adiutor meus fortis.
8 Plenum erat os meum laude tua,
Toto die gloria tua.
9 Ne abieceris me tempore senectutis;
Cum defecerint vires meae, ne dereliqueris me.
10 Nam loquuntur de me inimici mei,
Et observantes me, consiliantur una,
11 Dicentes: Deus dereliquit eum;
Persequimini et comprehendite eum,
Quia non est qui eripiat.
12 Deus, noli stare procul a me,
Deus meus, ad iuvandum me festina.
13 Confundantur, deficiant adversantes vitae meae;
Operiantur confusione et pudore qui quaerunt mala mihi.
14 Ego autem semper sperabo,
Et in dies conferam ad omnem laudem tuam.
15 Os meum annuntiabit iustitiam tuam,
Toto die auxilia tua:
Neque enim novi mensuram eorum.
16 Enarrabo potentiam Dei,
Domine, praedicabo iustitiam tuam solius.
17 Deus, docuisti me a iuventute mea,
Et usque nunc annuntio mirabilia tua.
18 Et in senecta quoque et senio,
Deus, ne dereliqueris me,
Dum annuntiabo bracchium tuum generationi huic,
Omnibus venturis potentiam tuam,
19 Et iustitiam tuam, Deus, quae contingit caelos,
Qua fecisti tam magna: Deus, quis par est tibi?
20 Imposuisti mihi tribulationes multas et malas:
Rursus vivum facies me et de profundis terrae rursus me exolles.
21 Auge dignitatem meam.
Et denuo me consolare.
22 Ego quoque celebrabo psalterio fidelitatem tuam, Deus,
Psallam tibi cithara, Sanctus Israel.
23 Exsultabunt labia mea, cum cantabo tibi,

Et anima mea, quam redemisti.
24 Etiam lingua mea toto die eloquetur iustitiam tuam,
Quia confusi sunt et erubuerunt qui quaerunt malum mihi.

LXXI. 1 *Salomonis.*
Deus, iudicium tuum regi da,
Et iustitiam tuam filio regis:
2 Gubernet populum tuum cum iustitia,
Et humiles tuos cum aequitate.
3 Afferent montes pacem populo
Et colles iustitiam.
4 Tuebitur humiles populi,
Salvos faciet filios pauperum,
Et conteret oppressorem.
5 Et diu vivet ut sol,
Et sicut luna in omnes generationes.
6 Descendet ut pluvia super gramen,
Sicut imbres qui irrigant terram.
7 Florebit in diebus eius iustitia
Et abundantia pacis, donec deficiat luna.
8 Et dominabitur a mari usque ad mare,
Et a flumine usque ad terminos terrae.
9 Coram illo procident inimici eius,
Et adversarii eius pulverem lingent.
10 Reges Tharsis et insularum munera offerent;
Reges Arabum et Saba dona adducent:
11 Et adorabunt eum omnes reges terrae,
Omnes gentes servient ei.
12 Etenim liberabit pauperem invocantem,
Et miserum, cui non est adiutor.
13 Miserebitur inopis et pauperis,
Et vitam pauperum salvabit:
14 Ab iniuria et oppressione liberabit eos,
Et pretiosus erit sanguis eorum coram illo.
15 Ideo vivet, et dabunt ei de auro Arabiae,
Et orabunt pro eo semper:
Perpetuo benedicent ei.
16 Erit abundantia frumenti in terra;
In summis montium strepet, ut Libanus, fructus eius,
Et florebunt incolae urbium ut gramina terrae.
17 Erit nomen eius benedictum in saecula;
Dum lucebit sol, permanebit nomen eius.
Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae,
Omnes gentes beatum praedicabunt eum.

18 Benedictus Dominus, Deus Israel,
Qui facit mirabilia solus.
19 Et benedictum nomen eius gloriosum in saecula;
Et repleatur gloria eius omnis terra. Amen. Amen.

LXXII. 1 *Psalmus. Asaphi.*
Quam bonus rectis est Deus,
Dominus eis qui puro sunt corde!
2 Mei autem fere nutarunt pedes,
Paene lapsi sunt gressus mei,
3 Quia impiis invidebam,
Prosperitatem peccatorum observans.
4 Nulla enim sunt iis tormenta,
Sanum et pingue est corpus eorum.
5 In aerumnis mortalium non versantur,
Et cum hominibus non flagellantur.
6 Ideo cingit eos, ut torquis, superbia,
Et violentia, ut vestis, operit eos.
7 Prodit ex crasso corde iniquitas eorum,
Erumpunt figmenta mentis.
8 Irrident et loquuntur maligne,
Oppressionem ex alto minantur.
9 Aggrediuntur caelum ore suo,
Et lingua eorum perstringit terram.
10 Ideo populus meus se convertit ad eos,
Et aquas abundantes sorbent sibi.
11 Et dicunt: Quomodo scit Deus,
Et estne cognitio in Altissimo?
12 Ecce tales sunt peccatores
Et semper tranquilli, potentiam augent.
13 Ergone frustra mundum servavi cor meum,
Et lavi in innocentia manus meas?
14 Nam flagella patior omni tempore,
Et castigationem cotidie.
15 Si cogitarem: Loquar ut illi,
Genus filiorum tuorum deseruissem.
16 Meditabar ergo, ut cognoscerem hoc;
Sed laboriosum visum est mihi,
17 Donec intravi in sancta Dei,
Et attendi fini illorum.
18 Vere in via lubrica collocas eos,
Praecipitas eos in ruinas.
19 Quomodo corruerunt momento,
Desierunt, absumpti sunt magno terrore!
20 Sicut somnium, cum quis evigilat, Domine,
Ita, cum surrexeris, spernes figmentum eorum.

21 Quando exasperabatur mens mea,
Et cor meum pungebatur,
22 Ego insipiens eram neque intellegebam:
Ut iumentum fui coram te.
23 Ego autem semper tecum ero:
Apprehendisti manum dexteram meam;
24 Consilio tuo deduces me,
Et in gloriam tandem suscipies me.
25 Quis praeter te mihi est in caelo?
Et, si tecum sum, non delectat me terra.
26 Deficit caro mea et cor meum,
Petra cordis mei et pars mea Deus in aeternum.
27 Ecce enim, qui recedunt a te, peribunt,
Perdis omnes qui fornicantur abs te.
28 Mihi autem bonum est prope Deum esse,
Ponere in Domino Deo refugium meum.
Enarrabo omnia opera tua
In portis filiae Sion.

LXXIII. 1 *Maskil. Asaphi.*
Quare, Deus, reppulisti in perpetuum,
Exardescit ira tua contra oves pascuae tuae?
2 Recordare sodalitatis tuae, quam condidisti ab antiquo,
Tribus, quam redemisti tibi in possessionem,
Montis Sion, in quo sedem posuisti.
3 Dirige gressus tuos ad ruinas perpetuas:
Omnia vastavit inimicus in sanctuario.
4 Rugierunt adversarii tui in loco conventus tui,
Posuerunt signa sua in tropaeum.
5 Similes sunt illis qui in condenso vibrant securim,
6 Et iam ascia et malleo ianuas eius pariter contundunt.
7 Igni tradiderunt sanctuarium tuum,
Profanarunt in terra tabernaculum nominis tui.
8 Dixerunt in corde suo: Destruamus eos simul;
Comburite omnia sanctuaria Dei in terra.
9 Signa nostra non iam videmus, non est propheta;
Neque inter nos est qui sciat quousque.
10 Quousque, Deus, exprobravit inimicus?
Blasphemabit adversarius nomen tuum in perpetuum?
11 Quare avertis manum tuam
Et dexteram tuam retines in sinu tuo?
12 Deus autem rex meus est ab antiquo,
Qui efficit salutem in medio terrae.
13 Tu dirupisti potentia tua mare,
Contrivisti capita draconum in aquis.
14 Tu confregisti capita Leviathan,

Dedisti eum escam monstris marinis.
15 Tu elicuisti fontes et torrentes:
Tu siccasti fluvios copiosos.
16 Tuus est dies et tua est nox;
Tu stabilisti lunam et solem.
17 Tu statuisti omnes terminos terrae;
Aestatem et hiemem tu formasti.
18 Recordare haec: inimicus exprobravit tibi, Domine,
Et populus insipiens maledixit nomini tuo.
19 Ne tradideris vulturi vitam turturis tui:
Vitam pauperum tuorum noli oblivisci in perpetuum.
20 Respice in foedus tuum,
Quia violentiae plena sunt latibula terrae, et campi.
21 Ne humilis revertatur confusus:
Pauper et inops laudent nomen tuum.
22 Exsurge, Deus, age causam tuam;
Recordare improperii quod insipiens cotidie infert tibi.
23 Noli oblivisci voces adversariorum tuorum:
Tumultus insurgentium contra te ascendit semper.

LXXIV. 1 *Magistro chori. Secundum Ne destruxeris. Psalmus. Asaphi. Canticum.*
2 Celebramus te, Domine, celebramus,
Et praedicamus nomen tuum, enarramus mirabilia tua.
3 Quando statuero tempus,
Ego secundum ius iudicabo.
4 Etsi moveatur terra cum omnibus incolis suis:
Ego firmavi columnas eius.
5 Dico insolentibus: Nolite insolescere,
Et impiis: Nolite extollere cornu.
6 Nolite extollere contra Altissimum cornu vestrum,
Nolite loqui contra Deum proterva.
7 Neque enim ab Oriente neque ab Occidente
Neque a deserto neque a montibus:
8 Sed Deus est iudex:
Hunc deprimit, et illum extollit,
9 Nam in manu Domini calix est,
Qui spumat vino, plenus mixto:
Et propinat ex eo; usque ad faeces sorbebunt,
Bibent omnes impii terrae.
10 Ego autem exsultabo in aeternum,
Psallam Deo Iacob.
11 Et omnia cornua impiorum confringam;
Extollentur cornua iusti.

LXXV. 1 *Magistro chori. Fidibus. Psalmus. Asaphi. Canticum.*
2 Innotuit Deus in Iuda,

In Israel magnum est nomen eius.
3 In Salem est tabernaculum eius,
Et habitatio eius in Sion.
4 Ibi confregit fulmina arcus,
Scutum et gladium et arma.
5 Splendens luce tu, potens, venisti
A montibus aeternis.
6 Spoliati sunt robusti corde,
Dormiunt somnum suum,
Et omnium fortium defecerunt manus.
7 Increpatione tua, Deus Iacob,
Torpuerunt currus et equi.
8 Terribilis es tu, et quis resistet tibi,
Ob vehementiam irae tuae?
9 De caelo audiri fecisti iudicium:
Terra expavit et siluit,
10 Cum exsurgeret ad iudicium Deus,
Ut salvos faceret omnes humiles terrae.
11 Nam furor Edom glorificabit te,
Et superstites Emath festum agent tibi.
12 Facite vota et solvite ea Domino Deo vestro,
Omnes in circuitu eius munus ferant Terribili,
13 Ei qui cohibet spiritum principum,
Qui terribilis est regibus terrae.

LXXVI. 1 *Magistro chori. Secundum Idithun. Asaphi. Psalmus.*
2 Vox mea ad Deum ascendit et clamo,
Vox mea ad Deum, ut audiat me;
3 Die angustiae meae Dominum quaero.
Manus mea per noctem extenditur indefessa;
Consolationem renuit anima mea.
4 Cum Dei recordor, ingemisco;
Cum recogito, deficit spiritus meus.
5 Tenes vigiles oculos meos;
Conturbor nec possum loqui.
6 Perpendo dies antiquos,
Et pristinos annos 7 recordor:
Meditor nocte in corde meo
Recogito et scrutatur spiritus meus:
8 Num in aeternum repellet Deus,
Nec propitius erit ultra?
9 Num in perpetuum deficiet gratia eius,
Irrita erit promissio in omnes generationes?
10 Num oblitus est misereri Deus?
An iratus occlusit misericordiam suam?
11 Et dico: Hic est dolor meus,

Quod mutata est dextera Altissimi.
12 Memor sum factorum Domini,
Utique memor sum antiquorum mirabilium tuorum.
13 Et meditor omnia opera tua,
Et gesta tua perpendo.
14 Deus, sancta es via tua:
Quis deus es magnus ut Deus noster?
15 Tu es Deus, qui mirabilia patras,
Notam fecisti in populis potentiam tuam.
16 Redemisti bracchio tuo populum tuum,
Filios Iacob et Ioseph.
17 Viderunt te aquae, Deus,
Viderunt te aquae: tremuerunt,
Atque commoti sunt fluctus.
18 Profuderunt nubila aquas,
Nubes emiserunt vocem,
Atque sagittae tuae volarunt.
19 Tonitrus tuus in turbine sonuit,
Collustrarunt fulgura orbem:
Commota est et tremuit terra.
20 Per mare facta est via tua,
Et semita tua per aquas multas,
Neque apparuerunt vestigia tua.
21 Duxisti ut gregem populum tuum,
Per manum Moysis et Aaron.

LXXVII. 1 *Maskil. Asaphi.*
Ausculta, popule meus, doctrinam meam;
Inclinate aures vestras ad verba oris mei.
2 Aperiam ad parabolas os meum,
Proferam arcana aetatis antiquae.
3 Quae audivimus et cognovimus,
Et quae patres nostri narraverunt nobis,
4 Non occultabimus a filiis eorum,
Generationi futurae narrabimus
Laudes Domini et potentiam eius
Et mirabilia quae fecit.
5 Statuit enim praeceptum in Iacob
Et legem condidit in Israel,
Ut, quae mandavit patribus nostris,
Nota facerent filiis suis,
6 Ut cognoscat generatio ventura, filii qui nascentur,
Ut surgant et narrent filiis suis,
7 Ut ponant in Deo spem suam
Neque obliviscantur opera Dei,
Sed mandata eius observent;

8 Neve fiant, sicut patres eorum,
Generatio rebellis et contumax:
Generatio quae cor non habuit rectum,
Neque animum Deo fidelem.
9 Filii Ephraim pugnantes arcu
Terga verterunt die proelii.
10 Non servaverunt foedus Dei,
Et in lege eius renuerunt ambulare,
11 Et obliti sunt opera eius,
Et mirabilia eius quae ostendit eis.
12 Coram patribus eorum fecit miracula
In terra Aegypti, in campo Taneos.
13 Scidit mare et traduxit eos,
Et statuit aquas ut aggerem.
14 Et duxit eos nube per diem,
Per totam noctem lumine ignis.
15 Scidit petras in deserto,
Et adaquavit eos, ut fluctibus, copiose.
16 Et elicuit rivos de petra,
Et deduxit, ut flumina, aquas.
17 Sed perrexerunt peccare in eum,
Offendere Altissimum in deserto.
18 Et tentaverunt Deum in cordibus suis,
Petentes cibum secundum cupiditatem suam.
19 Et locuti sunt contra Deum;
Dixerunt: Num poterit Deus parare mensam in deserto?
20 Ecce percussit petram, et fluxerunt aquae et torrentes emanaverunt:
Num panem quoque poterit dare, vel parare carnem populo suo?
21 Ideo, cum audisset Dominus, furore exarsit,
Et ignis accensus est contra Iacob,
Et ira efferbuit contra Israel,
22 Quia non crediderunt in Deum,
Nec speraverunt in auxilio eius.
23 Sed mandavit nubibus desuper,
Et ianuas caeli aperuit,
24 Et pluit super eos manna ad manducandum,
Et panem caeli dedit eis.
25 Panem fortium manducavit homo:
Cibaria misit eis ad saturitatem.
26 Excitavit Eurum de caelo
Et adduxit potentia sua Austrum.
27 Et pluit super eos, ut pulverem, carnes,
Et, sicut arenam maris, volatilia pennata.
28 Et ceciderunt in castra eorum,
Circa tabernacula eorum.
29 Et manducaverunt, et saturati sunt valde,

Et desiderium eorum implevit eis.
30 Nondum cessaverant a desiderio suo,
Et escae eorum erant in ore ipsorum,
31 Cum ira Dei efferbuit contra eos,
Et caedem fecit procerum eorum,
Et iuvenes Israel prostravit.
32 Sed tamen peccaverunt ultra,
Nec crediderunt miraculis eius.
33 Et consumpsit velociter dies eorum,
Et annos eorum exitio repentino.
34 Cum occidebat eos, quaerebant eum,
Et conversi requirebant Deum;
35 Et recordabantur Deum esse petram suam,
Et Deum Altissimum redemptorem suum.
36 Sed decipiebant eum ore suo,
Et lingua sua mentiebantur ei.
37 Et cor eorum non erat rectum cum eo,
Nec fideles erant in foedere eius.
38 Ipse tamen miserans dimittebat culpam nec perdebat eos,
Et crebro cohibuit iram suam,
Neque effudit totum furorem suum.
39 Et recordatus est eos esse carnem,
Halitum, qui vadat nec revertatur.
40 Quoties provocaverunt eum in deserto,
Afflixerunt eum in solitudine!
41 Et iterum tentaverunt Deum,
Et Sanctum Israel exacerbaverunt.
42 Non sunt recordati manus eius,
Diei quo redemit eos de manu adversarii.
43 Quando patravit in Aegypto signa sua,
Et prodigia sua in campo Taneos,
44 Et convertit in sanguinem flumina eorum
Et rivos eorum, ne biberent.
45 Misit in eos muscas quae comederunt eos,
Et ranas quae infestarunt eos;
46 Et dedit brucho proventus eorum,
Et fructum laboris eorum locustae.
47 Percussit grandine vineas eorum,
Et sycomoros eorum pruina.
48 Et tradidit grandini iumenta eorum,
Et greges eorum fulminibus.
49 Misit in eos aestum irae suae,
Indignationem et furorem et tribulationem:
Catervam ministrorum calamitatis.
50 Viam aperuit irae suae:
Non servavit eos a morte,

Et animalia eorum tradidit pesti.
51 Et percussit omne primogenitum in Aegypto,
Primos partus eorum in tabernaculis Cham.
52 Et eduxit sicut oves populum suum,
Et deduxit eos ut gregem in deserto.
53 Et duxit eos securos nec timuerunt,
Et inimicos eorum operuit mare.
54 Et perduxit eos in terram sanctam suam,
Ad montes quos acquisivit dextera eius;
55 Et eiecit ante eos gentes,
Et sorte attribuit eas in hereditatem,
Et habitare fecit in tabernaculis earum tribus Israel.
56 Sed tentaverunt et provocaverunt Deum Altissimum,
Et praecepta eius non servaverunt.
57 Et defecerunt et praevaricati sunt sicut patres eorum,
Aberraverunt ut arcus fallax.
58 Ad iram lacessiverunt eum excelsis suis,
Et sculptilibus suis aemulationem eius excitaverunt.
59 Audivit Deus et exarsit furore,
Et acriter reiecit Israel.
60 Et reliquit habitaculum Silo,
Tabernaculum, ubi habitavit inter homines.
61 Et tradidit in captivitatem robur suum,
Et gloriam suam in manus inimici.
62 Et tradidit gladio populum suum,
Et contra hereditatem suam exarsit.
63 Iuvenes eorum comedit ignis,
Et virgines eorum non sunt desponsatae.
64 Sacerdotes eorum gladio ceciderunt,
Et viduae eorum non ploraverunt.
65 Et expergefactus est velut e somno Dominus,
Velut bellator victus a vino.
66 Et percussit a tergo inimicos suos:
Ignominiam aeternam inflixit eis.
67 Et reiecit tabernaculum Ioseph,
Et tribum Ephraim non elegit.
68 Sed elegit tribum Iuda,
Montem Sion quem dilexit.
69 Et exstruxit, ut caelum, sanctuarium suum,
Ut terram, quam fundavit in saecula.
70 Et elegit David, servum suum,
Et tulit eum de caulis ovium:
71 Sequentem lactantes vocavit eum,
Ut pasceret Iacob, populum suum,
Et Israel, hereditatem suam.

72 Et pavit eos cum probitate cordis sui,
Et prudentia manuum suarum duxit eos.

LXXVIII. 1 *Psalmus. Asaphi.*
Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam,
Polluerunt templum sanctum tuum,
Redegerunt Ierusalem in ruinas.
2 Dederunt corpora servorum turoum escam volatilibus caeli,
Carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.
3 Effuderunt sanguinem eorum ut aquam in circuitu Ierusalem,
Neque erat qui sepeliret.
4 Facti sumus opprobrium vicinis nostris,
Irrisio et ludibrium his qui sunt in circuitu nostro.
5 Quousque, Domine? irasceris perpetuo?
Ardebit velut ignis zelus tuus?
6 Effunde iram tuam super gentes quae te non agnoscunt,
Et super regna quae non invocant nomen tuum.
7 Etenim comederunt Iacob,
Et habitationem eius vastaverunt.
8 Noli recordari contra nos culpas maiorum;
Cito obveniat nobis misericordia tua:
Nam miseri sumus valde.
9 Adiuva nos, Deus salutis nostrae, propter gloriam nominis tui,
Et libera nos et dimitte peccata nostra propter nomen tuum.
10 Quare dicant gentes:
Ubi est Deus eorum?
Innotescat inter gentes, coram oculis nostris,
Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.
11 Perveniat ad te gemitus captivorum;
Secundum potentiam bracchii tui solve addictos morti.
12 Et retribue vicinis nostris septies in sinum eorum
Opprobrium quo affecerunt te, Domine.
13 Nos autem, populus tuus et oves pascuae tuae,
Celebrabimus te in aeternum;
A generatione in generationem enarrabimus laudem tuam.

LXXIX. 1 *Magistro chori. Secundum Lilium legis. Asaphi. Psalmus.*
2 Quis pascis Israel, ausculta,
Qui ducis, velut gregem, Ioseph.
Qui sedes super cherubim, affulge
3 Coram Ephraim et Beniamin et Manasse.
Excita potentiam tuam,
Et veni, ut salvos facias nos.
4 Deus, restitue nos,
Et serenum praebe vultum tuum, ut salvi simus.
5 Deus exercituum, quousque succensebis,

Cum oret populus tuus?
6 Cibasti eum pane lacrimarum
Et potasti eum lacrimis copiose.
7 Fecisti nos causam iurgii vicinis nostris,
Et inimici nostri illudunt nobis.
8 Deus exercituum, restitue nos,
Et serenum praebe vultum tuum, ut salvi simus.
9 Vitem ex Aegypto abstulisti,
Expulisti gentes, et plantasti eam.
10 Praeparasti ei solum,
Et radices egit et implevit terram.
11 Operti sunt montes umbra eius,
Et ramis eius cedri Dei.
12 Extendit palmites suos usque ad mare,
Et usque ad flumen propagines suas.
13 Quare destruxisti maceriam eius,
Ut vindemient eam omnes qui transeunt per viam,
14 Devastet eam aper silvestris,
Et bestiae agri depascantur eam?
15 Deus exercituum, revertere,
Respice de caelo et vide, et visita vitem hanc,
16 Et protege eam, quam plantavit dextera tua,
Et surculum, quem roborasti tibi.
17 Qui eam combusserunt igni et conciderunt eam,
Pereant comminatione vultus tui.
18 Sit manus tua super virum dexterae tuae,
Super filium hominis, quem roborasti tibi.
19 Iam non recedemus a te ultra;
Vivos servabis nos, et praedicabimus nomen tuum.
20 Domine, Deus exercituum, restitue nos,
Et serenum praebe vultum tuum, ut salvi simus.

LXXX. 1 *Magistro chori. Secundum Torcularia... Asaphi.*
2 Exsultate Deo adiutori nostro,
Acclamate Deo Iacob.
3 Sonate psalterio, et pulsate tympanum,
Citharam dulce sonantem cum lyra.
4 Clangite in neomenia bucina,
In plenilunio, die sollemni nostro,
5 Quia institutum Israel est,
Praeceptum Dei Iacob.
6 Legem statuit hanc in Ioseph,
Cum prodiret contra terram Aegypti.
Linguam quam non noveram, audivi:
7 Liberavi ab onere humerum eius;
Manus eius a cophino cessarunt.

8 In tribulatione clamasti, et eripui te;
Ex nube tonanti respondi tibi,
Probavi te apud aquam Meriba.
9 Audi, popule meus, et monebo te:
Israel, utinam audias me!
10 Non erit apud te deus alienus,
Neque adorabis deum peregrinum:
11 Ego sum Dominus, Deus tuus,
Qui eduxi te de terra Aegypti:
Dilata os tuum, et implebo illud.
12 Sed non audivit populus meus vocem meam,
Et Israel non obtemperavit mihi.
13 Ideo tradidi eos duritiae cordis eorum:
Ambulent secundum consilia sua.
14 Utinam populus meus audiret me,
Israel ambularet in viis meis:
15 Confestim deprimerem inimicos eorum,
Et contra adversarios eorum, verterem manum meam;
16 Qui oderunt Dominum, blandirentur ei,
Et sors eorum maneret in perpetuum.
17 Illum autem cibarem de medulla tritici,
Et melle de petra saturarem eum.

LXXXI. 1 *Psalmus. Asaphi.*
Deus assurgit in concilio divino,
In medio deorum iudicium agit.
2 Quousque iudicabitis inique,
Et causae impiorum favebitis?
3 Defendite oppressum et pupillum,
Ius reddite humili et pauperi.
4 Liberate oppressum et egenum:
De manu impiorum eripite eum.
5 Non sapiunt neque intellegunt,
In tenebris ambulant:
Commoventur omnia fundamenta terrae.
6 Ego dixi: Dii estis,
Et filii Altissimi omnes.
7 Verumtamen sicut homines moriemini,
Et sicut quivis ex principibus cadetis.
8 Surge, Deus, iudica terram,
Quoniam tu iure possides omnes gentes.

LXXXII. 1 *Canticum. Psalmus. Asaphi.*
2 Noli, Domine, tacere;
Noli silere, Deus, neque quiescere!
3 Nam ecce inimici tui tumultuantur,

Et qui oderunt te, extollunt caput.
4 Contra populum tuum moliuntur consilia,
Et consultant contra protectos tuos.
5 Venite, aiunt, disperdamus eos, ne sint populus,
Neve memoretur nomen Israel ultra.
6 Vere, consultant uno corde,
Et contra te ineunt foedus:
7 Tentoria Edom et Ismaelitae,
Moab et Agareni,
8 Gebal et Ammon et Amalec,
Philistaea cum incolis Tyri;
9 Etiam Assyrii se consociaverunt cum eis,
Bracchia praebuerunt filiis Lot.
10 Fac illis sicut Madian,
Sicut Sisarae, sicut Iabin ad torrentem Cison,
11 Qui interempti sunt apud Endor,
Facti sunt sterquilinium terrae.
12 Principes eius similes fac Oreb et Zeb,
Similes Zebee et Salmana omnes duces eorum,
13 Qui dixerunt:
Occupemus nobis regiones Dei.
14 Deus meus, fac eos similes foliis turbine rotatis,
Stipulae ante ventum.
15 Sicut ignis qui comburit silvam,
Et sicut flamma quae exurit montes,
16 Ita persequere eos tempestate tua,
Et procella tua conturba eos.
17 Imple facies eorum ignominia,
Ut quaerant nomen tuum, Domine.
18 Erubescant et conturbentur in aeternum,
Et confundantur et pereant.
19 Et cognoscant te, cuius nomen est Dominus,
Esse solum Excelsum super totam terram.

LXXXIII. 1 *Magistro chori. Secundum Torcularia. Filiorum Core. Psalmus.*
2 Quam dilecta habitatio tua, Domine exercituum!
3 Desiderat, languens concupiscit anima mea atria Domini;
Cor meum et caro mea
Exsultant ad Deum vivum.
4 Etiam passer invenit domum,
Et hirundo nidum sibi, ubi ponat pullos suos:
Altaria tua, Domine exercituum,
Rex meus et Deus meus!
5 Beati qui habitant in domo tua, Domine,
Perpetuo laudant te.
6 Beatus vir, cuius auxilium est a te,

Cum sacra itinera in animo habet:
7 Transeuntes per vallem aridam, fontem facient eam,
Ac benedictionibus vestiet eam pluvia prima.
8 Procedent de robore in robur;
Videbunt Deum deorum in Sion.
9 Domine exercituum, audi orationem meam;
Auribus percipe, Deus Iacob.
10 Clipeus noster, aspice, Deus,
Et respice faciem uncti tui.
11 Vere, melior est dies unus in atriis tuis
Quam alii mille;
Consistere malo in limine domus Dei mei,
Quam morari in tabernaculis peccatorum.
12 Nam sol et clipeus est Dominus Deus:
Gratiam et gloriam largitur Dominus,
Non negat bona eis
Qui ambulant in innocentia.
13 Domine exercituum,
Beatus homo qui confidit in te.

LXXXIV. 1 *Magistro chori. Filiorum Core. Psalmus.*
2 Propitius fuisti, Domine, terrae tuae;
Bene vertisti sortem Iacob.
3 Dimisisti culpam populi tui;
Operuisti omnia peccata eorum.
4 Continuisti omnem iracundiam tuam,
Destitisti a furore irae tuae.
5 Restitue nos, Deus Salvator noster,
Et depone indignationem tuam adversus nos.
6 Num in aeternum irasceris nobis,
Aut extendes iram tuam in omnes generationes?
7 Nonne tu vitam restitues nobis,
Et populus tuus laetabitur in te?
8 Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,
Et salutem tuam da nobis.
9 Audiam, quid loquatur Dominus Deus:
Profecto loquitur pacem
Populo suo et sanctis suis
Et eis qui corde convertuntur ad eum.
10 Certe propinqua est salus eius timentibus eum,
Ut habitet gloria in terra nostra.
11 Misericordia et fidelitas obviam venient sibi,
Iustitia et pax inter se osculabuntur.
12 Fidelitas germinabit ex terra,
Et iustitia de caelo prospiciet.
13 Dominus quoque dabit bonum,

Et terra nostra dabit fructum suum.
14 Iustitia ante eum incedet,
Et salus in via gressuum eius.

LXXXV. 1 *Precatio. Davidis.*
Inclina, Domine, aurem tuam, exaudi me,
Quia miser et pauper sum ego.
2 Custodi animam meam, quia devotus sum tibi;
Salvum fac servum tuum sperantem in te.
Deus meus es tu: 3 miserere mei, Domine,
Quia assidue ad te clamo.
4 Laetifica animam servi tui,
Quia ad te, Domine, animam meam attollo.
5 Tu enim, Domine, es bonus et clemens,
Plenus misericordiae in omnes qui invocant te.
6 Ausculta, Domine, orationem meam,
Et attende ad vocem obsecrationis meae.
7 Die tribulationis meae clamo ad te,
Quia exaudies me.
8 Non est tibi par inter deos, Domine,
Et non est opus simile operi tuo:
9 Omnes gentes, quas fecisti, venient
Et adorabunt te, Domine,
Et praedicabunt nomen tuum.
10 Quia magnus es tu et facis mirabilia:
Tu solus es Deus.
11 Doce me, Domine, viam tuam, ut ambulem in veritate tua;
Dirige cor meum, ut timeat nomen tuum.
12 Celebrabo te, Domine, Deus meus, toto corde meo,
Et praedicabo nomen tuum in aeternum.
13 Quia misericordia tua magna fuit erga me,
Et eripuisti animam meam de profundis inferni.
14 Deus, superbi insurrexerunt contra me,
Et turba praepotentium insidiatur vitae meae,
Neque te ponunt ante oculos suos.
15 Sed tu, Domine, Deus misericors es et benignus,
Tardus ad iram, summe clemens et fidelis.
16 Respice in me, et miserere mei;
Da robur tuum servo tuo
Et salvum fac filium ancillae tuae.
17 Signum da mihi favoris tui,
Ut videant, qui oderunt me, et confundantur,
Quod tu, Domine, adiuveris me et consolatus sis me.

LXXXVI. 1 *Filiorum Core. Psalmus. Canticum.*
Fundationem suam in montibus sanctis 2 diligit Dominus:

Portas Sion magis quam omnia tabernacula Iacob.
3 Gloriosa praedicantur de te,
Civitas Dei!
4 Accensebo Rahab et Babel colentibus me:
Ecce, Philistaea et Tyrus populusque Aethiopum:
Hi nati sunt illic.
5 Et de Sion dicetur: Viritim omnes sunt nati in ea,
Et ipse firmavit eam Excelsus.
6 Dominus scribet in libro populorum:
Hi nati sunt illic.
7 Et cantabunt, dum chorum ducent:
Omnes fontes mei sunt in te.

LXXXVII. 1 *Canticum. Psalmus. Filiorum Core. Magistro chori. Secundum Mahalat. Ad cantandum. Maskil. Heman Ezrahitae.*
2 Domine, Deus meus, interdiu clamo,
Nocte lamentor coram te.
3 Perveniat ad te oratio mea,
Inclina aurem tuam ad clamorem meum.
4 Nam saturata est malis anima mea,
Et inferis vita mea propinquat.
5 Accenseor descendentibus in foveam,
Similis factus sum viro invalido.
6 Inter mortuos est stratum meum,
Sicut occisorum, qui in sepulcro iacent,
Quorum non es memor amplius
Et qui a cura tua sunt seiuncti.
7 Collocasti me in fovea profunda,
In tenebris, in voragine.
8 Super me gravat indignatio tua,
Et omnibus fluctibus tuis opprimis me.
9 Removisti notos meos a me;
Abominabilem fecisti me illis,
Clausus sum, neque egredi possum.
10 Oculi mei ob miseriam tabescunt,
Clamo ad te, Domine, cotidie;
Expando ad te manus meas.
11 Num pro mortuis facis mirabilia?
An defuncti surgent, et laudabunt te?
12 Num enarratur in sepulcro bonitas tua,
Fidelitas tua apud inferos?
13 Num manifestantur in tenebris mirabilia tua,
Et gratia tua in terra oblivionis?
14 Ego autem ad te, Domine, clamo,
Et mane oratio mea ad te venit.
15 Quare, Domine, repellis animam meam,

Abscondis faciem tuam a me?
16 Miser sum ego et moribundus inde a puero,
Portavi terrores tuos et elangui.
17 Super me transierunt irae tuae,
Et terrores tui me perdiderunt.
18 Circumdant me ut aqua perpetuo;
Circumveniunt me omnes simul.
19 Removisti a me amicum et sodalem:
Familiares mei sunt tenebrae.

LXXXVIII. 1 *Maskil. Ethan Ezrahitae.*
2 Gratias Domini in aeternum cantabo;
Per omnes generationes annuntiabo fidelitatem tuam ore meo.
3 Dixisti enim: In aeternum fundata est gratia;
In caelo stabilisti fidelitatem tuam.
4 Inii foedus cum electo meo;
Iuravi David, servo meo:
5 Usque in aeternum stabiliam semen tuum,
Et fundabo in omnes generationes thronum tuum.
6 Caeli mirabilia tua celebrant, Domine,
Et fidelitatem tuam in coetu sanctorum.
7 Nam quis in nubibus aequabitur Domino,
Similis erit Domino inter filios Dei?
8 Deus est terribilis in concilio sanctorum,
Magnus et tremendus prae omnibus circa eum.
9 Domine, Deus exercituum, quis par est tibi?
Potens es, Domine, et fidelitas tua circumdat te.
10 Tu imperas superbiae maris,
Tumorem fluctuum eius tu compescis.
11 Tu transfixum conculcasti Rahab,
Bracchio potenti tuo dispersisti inimicos tuos.
12 Tui sunt caeli, et tua est terra;
Orbem terrarum et quod eum replet tu fundasti;
13 Aquilonem et austrum tu creasti;
Thabor et Hermon de nomine tuo exsultant.
14 Tibi bracchium potens est,
Firma manus tua, dextera tua erecta.
15 Iustitia et ius sunt fundamentum throni tui;
Gratia et fidelitas praecedant te.
16 Beatus populus qui exsultare novit;
Ambulant, Domine, in lumine vultus tui,
17 De nomine tuo laetantur semper,
Et iustitia tua extolluntur.
18 Nam tu es splendor potentiae eorum,
Et tuo favore extollitur cornu nostrum.
19 Nam Domini est clipeus noster,

Et Sancti Israel rex noster.
20 Olim locutus es in visione sanctis tuis et dixisti:
Imposui coronam potenti;
Extuli electum de populo.
21 Inveni David, servum meum,
Oleo sancto meo unxi eum,
22 Ut manus mea sit semper cum eo,
Et bracchium meum confirmet eum.
23 Non decipiet eum inimicus,
Neque malignus deprimet eum.
24 Sed contundam coram eo adversarios eius,
Et, qui oderunt eum, percutiam.
25 Fidelitas mea et gratia mea cum ipso;
Et in nomine meo extolletur cornu eius.
26 Et extendam super mare manum eius,
Et super flumina dexteram eius.
27 Ipse vocabit me: Pater meus es tu,
Deus meus et petra salutis meae.
28 Atque ego primogenitum constituam eum,
Celsissimum inter reges terrae.
29 In aeternum servabo ei gratiam meam,
Et firmum manebit ei foedus meum.
30 Et aeternum faciam semen eius,
Et thronum eius ut dies caeli.
31 Se dereliquerint filii eius legem meam,
Neque ambulaverint in praeceptis meis,
32 Si violaverint statuta mea,
Nec custodierint mandata mea:
33 Virga puniam delictum eorum,
Et verberibus culpam eorum;
34 Sed gratiam meam non subtraham ei,
Nec fidem meam fallam.
35 Non violabo foedus meum,
Neque effatum labiorum meorum mutabo.
36 Semel iuravi per sanctitatem meam:
Davidi certe non mentiar,
37 Semen eius in aeternum manebit
Et thronus eius coram me erit ut sol,
38 Ut luna, quae manet in aeternum,
Testis in caelo fidelis.
39 Tu vero reppulisti et abiecisti,
Graviter iratus es uncto tuo.
40 Sprevisti foedus servi tui,
Profanasti humi coronam eius.
41 Diruisti omnes muros eius,
Munitiones eius excidio tradidisti.

42 Diripuerunt eum omnes transeuntes per viam,
Ludibrio factus est vicinis suis.
43 Extulisti dexteram inimicorum eius;
Implevisti gaudio omnes hostes eius.
44 Retudisti aciem gladii eius,
Nec sustentasti eum in proelio.
45 Cessare fecisti splendorem eius,
Et thronum eius in terram deiecisti.
46 Breviasti dies adulescentiae eius,
Operuisti eum ignominia.
47 Quousque, Domine? abscondes te semper?
Ardebit ut ignis indignatio tua?
48 Memento, quam brevis sit vita mea,
Quam caducos creaveris omnes homines.
49 Quis est, qui vivat nec videat mortem,
Qui e manu inferi subtrahat animam suam?
50 Ubi sunt gratiae tuae antiquae, Domine,
Quas David iurasti per fidelitatem tuam?
51 Memento, Domine, contumeliae servorum tuorum:
Porto in sinu meo omnes inimicitias gentium,
52 Quibus insultant adversarii tui, Domine,
Quibus insultant gressibus uncti tui.

53 Benedictus Dominus in aeternum!
Fiat! Fiat!

LXXXIX. 1 *Precatio. Moysis, viri Dei.*
Domine, tu fuisti refugium nobis
A generatione in generationem.
2 Priusquam montes gigneretur et nasceretur terra et orbis,
Et ab aeterno in aeternum tu es, Deus.
3 Reverti iubes mortales in pulverem
Et dicis, Revertimini, filii hominum.
4 Nam mille anni in oculis tuis
Tamquam dies hesternus sunt qui transivit,
Et tamquam vigilia nocturna.
5 Abripis eos: fiunt ut somnium matutinum,
Ut herba virescens:
6 Mane floret et viret,
Vespere succiditur et arescit.
7 Vere consumpti sumus ira tua,
Et indignatione tua conturbati.
8 Posuisti culpas nostras in conspectuo tuo,
Peccata nostra occulta in lumine vultus tui.
9 Nam omnes dies nostri transierunt in ira tua;
Finivimus annos nostros ut suspirium.

10 Summa annorum nostrorum sunt septuaginta anni
Et, si validi sumus, octoginta;
Et plerique eorum sunt labor et vanitas:
Nam cito transeunt, et nos avolamus.
11 Quis perpendit potentiam irae tuae,
Et pro debito tibi timore indignationem tuam?
12 Dinumerare nos doce dies nostros,
Ut perveniamus ad sapientiam cordis.
13 Revertere, Domine, - quousque?
Et propitius esto servis tuis.
14 Satia nos cito misericordia tua,
Ut exsultemus et laetemur cunctis diebus nostris.
15 Laetifica nos pro diebus quibus nos afflixisti,
Pro annis quibus vidimus mala.
16 Appareat servis tuis opus tuum,
Et gloria tua filiis eorum,
17 Et bonitas Domini Dei nostri sit super nos,
Et opus manuum nostrarum secunda nobis,
Et opus manuum nostrarum secunda.

XC. 1 Qui degis in praesidio Altissimi,
Qui sub umbra Omnipotentis commoraris,
2 Dic Domino: Refugium meum et arx mea,
Deus meus, in quo confido.
3 Nam ipse liberabit te de laqueo venantium,
A peste perniciosa.
4 Pennis suis proteget te,
Et sub alas eius confugies:
Scutum et clipeus est fidelitas eius.
5 Non timebis a terrore nocturno,
A sagitta volante in die,
6 A peste quae vagatur in tenebris,
A pernicie quae vastat meridie.
7 Cadant a letere tuo mille, et decem milia a dextris tuis:
Ad te non appropinquabit.
8 Verumtamen oculis tuis spectabis
Et mercedem peccatorum videbis.
9 Nam refugium tuum est Dominus,
Altissimum constituisti munimen tuum.
10 Non accedet ad te malum,
Et plaga non appropinquabit tabernaculo tuo,
11 Quia Angelis suis mandavit de te,
Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
12 In manibus suis portabunt te,
Ne offendas ad lapidem pedem tuum.
13 Super aspidem et viperam gradieris,

Conculcabis leonem et draconem.
14 Quoniam mihi adhaesit, liberabo eum;
Protegam eum, quia cognovit nomen meum.
15 Invocabit me et exaudiam eum;
Cum ipso ero in tribulatione,
Eripiam eum et honorabo eum.
16 Longitudine dierum satiabo eum,
Et ostendam ei salutem meam.

XCI. 1 *Psalmus. Canticum. Pro die sabbati.*
2 Bonum est celebrare Dominum,
Et psallere nomini tuo, Altissime:
3 Annuntiare mane misericordiam tuam
Et fidelitatem tuam per noctes
4 Psalterio decachordo et lyra,
Cum cantico ad citharam.
5 Nam delectas me, Domine, factis tuis,
De operibus manuum tuarum exsulto.
6 Quam magnifica sunt opera tua, Domine,
Quam profundae cogitationes tuae!
7 Vir insipiens non cognoscit,
Et stultus non intellegit haec.
8 Etsi impii floreant ut herba,
Et splendeant omnes male agentes,
Excidio destinantur sempiterno:
9 Tu autem in aeternum excelsus es, Domine.
10 Nam ecce inimici tui, Domine;
Nam ecce inimici tui peribunt:
Dispergentur omnes male agentes.
11 Extulisti sicut cornu bubali cornu meum;
Perfudisti me oleo purissimo.
12 Et oculus meus despexit inimicos meos,
Et de insurgentibus contra me malignis laeta audierunt aures meae.
13 Iustus ut palma florebit,
Sicut cedrus Libani crescet.
14 Plantati in domo Domini,
In atriis Dei nostri florebunt.
15 Fructum ferent etiam in senectute,
Sucosi et vegeti erunt,
Ut annuntient, quam rectus sit Dominus,
Petra mea, neque iniquitatem esse in eo.

XCII. 1 Dominus regnat, maiestatem indutus est,
Indutus est Dominus potentiam, praecinxit se,
Et firmavit orbem terrarum,
Qui non commovebitir.

2 Firma est sedes tua ab aevo,
Ab aeterno tu es.
3 Extollunt flumina, Domine,
Extollunt flumina vocem suam,
Extollunt flumina fragorem suum.
4 Potentior voce aquarum multarum,
Potentior aestibus maris:
Potens in excelsis est Dominus.
5 Testimonia tua fide digna sunt valde;
Domum tuam decet sanctitas, Domine, in longitudinem dierum.

XCIII. 1 Deus ultor, Domine,
Deus ultor, affulge.
2 Exsurge, qui iudicas terram;
Redde, quod merentur, superbis.
3 Quousque impii, Domine,
Quousque impii gloriabuntur,
4 Effutient, loquentur insolenter,
Iactabunt se qui patrant iniqua?
5 Populum tuum, Domine, conculcant,
Et hereditatem tuam affligunt;
6 Viduam et peregrinum trucidant,
Et occidunt pupillos.
7 Et dicunt: Non videt Dominus,
Neque advertit Deus Iacob.
8 Intellegite, stulti in populo,
Et insipientes, quando sapietis?
9 Qui plantavit aurem, non audiet?
Aut, qui finxit oculum, non videbit?
10 Qui erudit gentes, non castigabit?
Qui docet homines scientiam?
11 Dominus novit cogitationes hominum:
Sunt enim inanes.
12 Beatus vir, quem erudis, Domine,
Et instruis lege tua,
13 Ut des ei requiem a diebus malis
Donec impio fovea fodiatur.
14 Neque enim reiciet Dominus populum suum,
Et hereditatem suam non derelinquet;
15 Sed ad iustitiam redibit iudicium,
Eamque sequentur omnes recti corde.
16 Quis consurget pro me contra male agentes?
Quis stabit pro me contra patrantes iniqua?
17 Nisi Dominus iuvaret me,
Brevi habitaret in loco silentii anima mea.
18 Cum cogito: Vacillat pes meus,

Gratia tua, Domine, me sustentat.
19 Cum anxietates multiplicantur in corde meo,
Consolationes tuae delectant animam meam.
20 Num sociabitur tecum tribunal iniquum,
Quod vexationes creat sub specie legis?
21 Invadant animam iusti,
Et sanguinem innocentem condemnent:
22 Dominus certe erit praesidium mihi,
Et Deus meus petra refugii mei.
23 Et rependet illis iniquitatem eorum,
Et ipsorum malitia perdet eos,
Perdet eos Dominus Deus noster.

XCIV. 1 Venite, exsultemus Domino,
Acclamemus Petrae salutis nostrae:
2 Accedamus in conspectum eius cum laudibus,
Cum canticis exsultemus ei.
3 Nam Deus magnus est Dominus,
Et Rex magnus super omnes deos:
4 In manu eius sunt profunda terrae,
Et altitudines montium ipsius sunt.
5 Ipsius est mare: nam ipse fecit illud,
Et terra sicca, quam formaverunt manus eius:
6 Venite, adoremus et procidamus,
Et genua flectamus Domino qui fecit nos.
7 Nam ipse est Deus noster,
Nos autem populus pascuae eius et oves manus eius.
Utinam hodie vocem eius audiatis:
8 Nolite obdurare corda vestra ut in Meriba,
Ut die Massa in deserto,
9 Ubi tentaverunt me patres vestri,
Probaverunt me, etsi viderant opera mea.
10 Quadraginta annos taeduit me generationis illius,
Et dixi: Populus errans corde sunt,
Et non noverunt vias meas.
11 Ideo iuravi in ira mea:
Non introibunt in requiem meam.

XCV. 1 Cantate Domino canticum novum,
Cantate Domino, omnes terrae.
2 Cantate Domino, benedicite nomine eius,
Annuntiate de die in diem salutem eius.
3 Enarrate inter gentes gloriam eius,
In omnibus populis mirabilia eius.
4 Nam magnus est Dominus et laudandus valde,
Timendus magis quam omnis dii.

5 Nam omnes dii gentium sunt figmenta;
Dominus autem caelos fecit.
6 Maiestas et decor praecedunt eum;
Potentia et splendor sunt in sede sancta eius.
7 Tribuite Domino, familiae populorum,
Tribuite Domino gloriam et potentiam;
8 Tribuite Domino gloriam nominis eius.
Offerte sacrificium et introite in atria eius;
9 Adorate Dominum in ornatu sacro.
Contremisce coram eo, universa terra;
10 Dicite inter gentes: Dominus regnat.
Stabilivit orbem, ut non moveatur:
Regit populos cum aequitate.
11 Laetentur caeli, et exsultet terra;
Insonet mare et quae illud implent;
12 Gestiat campus et omnia quae in eo sunt.
Tum gaudebunt omnes arbores silvae
13 Coram Domino, quia venit,
Quia venit regere terram.
Reget orbem terrarum cum iustitia,
Et populos cum fidelitate sua.

XCVI. 1 Dominus regnat: exsultet terra,
Laetentur insulae multae.
2 Nubes et caligo circumdant eum,
Iustitia et ius fundamentum sunt solii eius.
3 Ignis ante ipsum praecedit,
Et comburit in circuitu inimicos eius.
4 Fulgura eius collustrant orbem;
Terra videt et contremiscit.
5 Montes ut cera liquescunt coram Domino,
Coram dominatore universae terrae.
6 Caeli annuntiant iustitiam eius;
Et omnes populi vident gloriam eius.
7 Confunduntur omnes qui colunt sculptilia
Et qui gloriantur in idolis;
Ante eum se prosternunt omnes dii.
8 Audit, et laetatur Sion,
Et exsultant civitates Iuda
Propter iudicia tua, Domine.
9 Nam tu, Domine, excelsus es super omnem terram,
Summe eminens inter omnes deos.
10 Dominus diligit eos, qui oderunt malum,
Custodit animas sanctorum suorum,
De manu impiorum eripit eos.
11 Lux oritur iusto,

Et rectis corde laetitia.
12 Laetamini, iusti, in Domino,
Et celebrate nomen sanctum eius.

XCVII. 1 *Psalmus.*
Cantate Domino canticum novum,
Quia mirabilia fecit.
Victoriam paravit ei dextera eius,
Et bracchium sanctum eius.
2 Notam fecit Dominus salutem suam;
In conspectu gentium revelavit iustitiam suam.
3 Recordatus est bonitatis et fidelitatis suae
In gratiam domus Israel.
Viderunt omnes fines terrae
Salutem Dei nostri.
4 Exsultate Domino, omnes terrae,
Laetamini et gaudete et psallite.
5 Psallite Domino cum cithara,
Cum cithara et sonitu psalterii,
6 Cum tubis et sono bucinae:
Exsultate in conspectu regis Domini.
7 Insonet mare et quae illud replent,
Orbis terrarum et qui habitant in eo.
8 Flumina plaudant manibus,
Simul montes exsultent,
9 Coram Domino, quia venit,
Quia venit regere terram.
Reget orbem terrarum cum iustitia
Et populos cum aequitate.

XCVIII. 1 Dominus regnat: tremunt populi;
Sedet super Cherubim: movetur terra.
2 Dominus in Sion magnus
Et excelsus super omnes populos.
3 Celebrent nomen tuum magnum et tremendum:
Sanctum est illud.
4 Et regnat potens qui iustitiam diligit:
Tu stabilisti quae recta sunt,
Iustitiam et ius tu exerces in Iacob.
5 Extollite Dominum Deum nostrum,
Et procumbite ad scabellum pedum eius:
Sanctum est illud.
6 Moyses et Aaron sunt inter sacerdotes eius,
Et Samuel inter eos qui invocabant nomen eius:
Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos.
7 In columna nubis loquebatur ad eos:

Audiebant mandata eius,
Et praeceptum, quod dedit eis.
8 Domine, Deus noster, tu exaudisti eos;
Deus, propitius fuisti eis,
Sed ultus es iniurias eorum.
9 Extollite Dominum Deum nostrum,
Et procumbite ad montem sanctum eius:
Nam sanctus est Dominus, Deus noster.

XCIX. 1 *Psalmus. Ad gratiarum actionem.*
Exsultate Domino, omnes terrae;
2 Servite Domino cum laetitia;
Introite in conspectum eius
Cum exsultatione.
3 Scitote Dominum esse Deum:
Ipse fecit nos et ipsius sumus,
Populus eius et oves pascuae eius.
4 Introite portas eius cum laude,
Atria eius cum hymno;
Celebrate eum, benedicite nomini eius.
5 Nam bonus est Dominus,
In aeternum misericordia eius,
Et in generationem et generationem fidelitas eius.

C. 1 *Davidis. Psalmus.*
Gratiam et iustitiam cantabo;
Tibi, Domine, psallam.
2 Incedam in via immaculata:
Quando venies ad me?
Ambulabo in innocentia cordis mei
In domo mea.
3 Non ponam ante oculos meos
Rem iniustam;
Facientem praevaricationes odio habeo:
Non adhaerebit mihi.
4 Cor pravum erit procul a me;
Quod malum est, non cognoscam.
5 Detrahentem occulte proximo suo:
Hunc perdam.
Superbum oculis et inflatum corde:
Hunc non tolerabo.
6 Oculi mei respiciunt fideles terrae,
Ut habitent mecum.
Qui ambulat in via immaculata,
Hic mihi ministrabit.
7 Non habitabit in domo mea,

Qui facit dolum.
Qui loquitur mendacia, non subsistet
Coram oculis meis.
8 Cotidie perdam
Omnes peccatores terrae,
Exterminans de civitate Domini
Omnes male agentes.

CI. 1 *Preces afflicti qui defessus angorem suum ante Dominum profundit.*
2 Domine, exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
3 Noli abscondere faciem tuam a me
Die angustiae meae.
Inclina ad me aurem tuam:
Quando te invoco, velociter exaudi me.
4 Nam dies mei evanescunt ut fumus,
Et ossa mea ut ignis ardent.
5 Exustum, ut herba, arescit cor meum,
Obliviscor comedere panem meum.
6 Propter vehementiam gemitus mei
Adhaerent ossa mea cuti meae.
7 Similis sum pelicano deserti,
Factus velut noctua in ruinis.
8 Insomnis sum et ingemisco,
Sicut avis solitaria in tecto.
9 Perpetuo insultant mihi inimici mei;
Qui furunt contra me, imprecantur nomine meo.
10 Nam cinerem comedo tamquam panem,
Et potum meum misceo cum fletu,
11 Propter indignationem et furorem tuum,
Quia me extulisti et deiecisti.
12 Dies mei similes sunt umbrae protensae,
Et ego sicut herba aresco.
13 Tu autem, Domine, in aeternum manes,
Et nomen tuum in omnes generationes.
14 Tu exsurge et propitius esto Sion,
Quia tempus est, ut miserearis eius, quia venit hora.
15 Nam servi tui diligunt lapides eius,
Et ruinas eius commiserantur.
16 Et reverebuntur gentes nomen tuum, Domine,
Et omnes reges terrae gloriam tuam,
17 Cum Dominus instauraverit Sion,
Apparuerit in gloria sua,
18 Converterit se ad orationem inopum,
Nec reiecerit orationem eorum.
19 Scribantur haec pro generatione ventura,

Et populus qui creabitur, collaudet Dominum.
20 Nam Dominus respexit de excelso sanctuario suo,
De caelo prospexit in terram,
21 Ut audiret gemitus captivorum,
Ut liberaret addictos morti,
22 Ut nomen Domini annuntietur in Sion,
Et eius laus in Ierusalem,
23 Quando populi congregabuntur simul
Et regna, ut serviant Domino.
24 Consumpsit in via vires meas,
Praecidit dies meos.
25 Dico: Deus meus, ne abstuleris me in dimidio dierum meorum;
Per omnes generationes durant anni tui.
26 In primordiis terram fundasti,
Et opus manuum tuarum est caelum.
27 Ista peribunt, tu autem permanebis,
Et universa sicut vestis veterascent.
Sicut vestimentum mutas ea, et mutantur:
28 Tu autem es idem, et anni tui non habent finem.
29 Filii servorum tuorum habitabunt securi,
Et semen eorum coram te durabit.

CII. 1 *Davidis.*
Benedic, anima mea, Domino,
Et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius.
2 Benedic, anima mea, Domino,
Et noli oblivisci omnia beneficia eius,
3 Qui remittit omnes culpas tuas,
Qui sanat omnes infirmitates tuas,
4 Qui redimit ab interitu vitam tuam,
Qui coronat te gratia et miseratione,
5 Qui satiat bonis vitam tuam:
Renovatur, ut aquilae, iuventus tua.
6 Opera iustitiae patrat Dominus,
Et omnibus oppressis ius reddit.
7 Notas fecit vias suas Moysi,
Filiis Israel opera sua.
8 Misericors et propitius est Dominus,
Tardus ad iram et admodum clemens.
9 Non in perpetuum contendit,
Neque in aeternum succenset.
10 Non secundum peccata nostra agit nobiscum,
Neque secundum culpas nostras retribuit nobis.
11 Nam quantum eminet caelum super terram,
Tantum praevalet misericordia eius erga timentes eum;
12 Quantum distat oriens ab occidente,

Tam longe removet a nobis delicta nostra.
13 Quemadmodum miseretur pater filiorum,
Miseretur Dominus timentium se.
14 Ipse enim novit, cuius facturae simus:
Recordatur nos pulverem esse.
15 Hominis dies sunt similes faeno;
Sicut flos agri, ita floret:
16 Vix ventus perstrinxit eum, non iam subsistit;
Neque ultra cognoscit eum locus eius.
17 Misericordia autem Domini ab aeterno in aeternum erga timentes eum,
Et iustitia eius erga filios filiorum,
18 Erga eos qui servant foedus eius,
Et memores sunt praeceptorum eius, ut faciant ea.
19 Dominus in caelo statuit sedem suam,
Et regnum eius gubernat universa.
20 Benedicite Domino, omnes Angeli eius,
Potentes virtute, facientes iussa eius,
Ut oboediatis sermoni eius.
21 Benedicite Domino, omnes exercitus eius,
Ministri eius, qui facitis voluntatem eius.
22 Benedicite Domino, omnia opera eius,
In omnibus locis potestatis eius:
Benedic, anima mea, Domino.

CIII. 1 Benedic, anima mea, Domino!
Domine, Deus meus, magnus es valde!
Maiestatem et decorem indutus es,
2 Amictus lumine sicut pallio.
Extendisti caelum sicut aulaeum,
3 Exstruxisti super aquas conclavia tua.
Nubes constituis currum tuum,
Ambulas super alas venti.
4 Nuntios tuos facis ventos,
Et ministros tuos ignem ardentem.
5 Fundasti terram super bases eius:
Non vacillabit in saeculum saeculi.
6 Oceano ut vestimento texisti eam,
Super montes steterunt aquae.
7 Increpante te fugerunt,
Te tonante trepidarunt.
8 Ascenderunt montes, descenderunt valles
In locum quem statuisti eis.
9 Terminum posuisti, quem non transgrediantur,
Ne iterum operiant terram.
10 Fontes defluere iubes in rivos
Qui manant inter montes,

11 Potum praebent omni bestiae agri:
Onagri exstinguunt sitim suam;
12 Iuxta eos habitant volucres caeli,
Inter ramos edunt vocem.
13 Rigas montes de conclavibus tuis,
Fructu operum tuorum satiatur terra.
14 Producis gramen iumentis
Et herbam, ut serviat homini,
Ut trahat panem de terra,
15 Et vinum quod laetificet cor hominis;
Ut faciem exhilaret oleo,
Et panis reficiat cor hominis.
16 Saturantur arbores Domini,
Cedri Libani quas plantavit.
17 Illic volucres nidum ponunt;
Ciconiae domus sunt abietes.
18 Montes excelsi ibicibus,
Petrae hyracibus perfugium praestant.
19 Fecisti lunam ad tempora signanda;
Sol cognovit occasum suum.
20 Cum facis tenebras et oritur nox,
In ea vagantur omnes bestiae silvae.
21 Catuli leonum rugiunt ad praedam,
Et petunt a Deo escam sibi.
22 Cum oritur sol, recedunt,
Et in cubilibus suis recumbunt.
23 Homo exit ad opus suum
Et ad laborem suum usque ad vesperum.
24 Quam multa sunt opera tua, Domine!
Omnia cum sapientia fecisti:
Plena est terra creaturis tuis.
25 Ecce mare magnum et late patens:
Illic reptilia sine numero,
Animalia parva cum magnis.
26 Illic naves perambulant,
Leviathan, quem fecisti, ut ludat in eo.
27 Omnia a te exspectant,
Ut des eis escam tempore suo.
28 Dante te eis colligunt;
Aperiente te manum tuam, implentur bonis.
29 Si abscondis faciem tuam, turbantur;
Si aufers spiritum eorum, decedunt
Et revertuntur in pulverem suum.
30 Si emittis spiritum tuum, creantur,
Et renovas faciem terrae.
31 Gloria Domini sit in aeternum:

Laetetur Dominus de operibus suis,
32 Qui respicit terram, et tremit;
Tangit montes, et fumant.
33 Cantabo Domino, donec vivam;
Psallam Deo meo, quamdiu ero.
34 Iucundum sit ei eloquium meum:
Ego laetabor in Domino.
35 Tollantur peccatores de terra,
Et impii ne sint ultra;
Benedic, anima mea, Domino! Alleluia.

CIV. 1 Celebrate Dominum, acclamate nomini eius
Nota facite inter gentes opera eius.
2 Cantate ei, psallite ei,
Enarrate omnia mirabilia eius.
3 Gloriamini de nomine sancto eius;
Laetetur cor quaerentium Dominum.
4 Considerate Dominum et potentiam eius,
Quaerite faciem eius semper.
5 Mementote mirabilia eius quae fecit,
Prodigia eius, et iudicia oris eius,
6 Semen Abraham, servi eius,
Filii Iacob, electi eius!
7 Ipse Dominus est Deus noster;
In universa terra valent iudicia eius.
8 Memor est in aeternum foederis sui,
Promissi quod disposuit in mille generationes,
9 Foederis quod iniit cum Abraham,
Et iuris iurandi quod dedit Isaac,
10 Quod statuit pro Iacob firmum decretum,
Pro Israel foedus aeternum,
11 Dicens: Tibi dabo terram Chanaan
In sortem hereditariam vestram.
12 Cum essent numero pauci,
Exigui et peregrini in terra illa,
13 Et migrarent de gente in gentem,
Et de regno hoc ad populum illum,
14 Nemini permisit opprimere eos,
Et propter eos corripuit reges:
15 Nolite tangere unctos meos,
Nec prophetis meis intuleritis malum.
16 Et vocavit famem super terram;
Et omne subsidium panis subtraxit.
17 Miserat ante eos virum;
In servitutem venundatus erat Ioseph.
18 Strinxerant vinculis pedes eius,

Ferro ligatum erat collum eius,
19 Donec impleta est praedictio eius,
Verbum Domini comprobavit eum.
20 Misit rex, et solvit eum,
Princeps populorum, et liberavit eum.
21 Constituit eum dominum super domum suam,
Et principem super omnem possessionem suam,
22 Ut erudiret proceres eius pro beneplacito suo
Et senes eius sapientiam doceret.
23 Tum Israel intravit in Aegyptum,
Et Iacob hospes fuit in terra Cham.
24 Et multiplicavit populum suum valde,
Et fecit eum fortiorem inimicis eius.
25 Convertit cor eorum, ut odio haberent populum eius
Et dolose agerent in servos eius:
26 Tum misit Moysen, servum suum,
Aaron, quem elegerat.
27 Patraverunt inter eos signa eius,
Et prodigia in terra Cham.
28 Misit tenebras, et facta est caligo,
Sed restiterunt verbis eius.
29 Convertit aquas eorum in sanguinem,
Et occidit pisces eorum.
30 Scatuit terra eorum ranis,
Usque in penetralia regum eorum.
31 Dixit, et venit agmen muscarum,
Culices in omnes fines eorum.
32 Dedit eis pro pluvia grandinem,
Ignem flammantem per terram eorum.
33 Et percussit vites eorum et ficus eorum,
Et confregit arbores in finibus eorum.
34 Dixit, et venerunt locustae,
Et bruchi sine numero;
35 Et devoraverunt omnem herbam in terra eorum,
Et devoraverunt fructus agri eorum.
36 Et percussit omnes primogenitos in terra eorum,
Primitias omnis roboris eorum.
37 Et eduxit eos cum argento et auro,
Nec fuit in tribubus eorum infirmus.
38 Laetati sunt Aegyptii de profectione eorum,
Quia timor eorum ceciderat super illos.
39 Expandit nubem in tegumentum,
Et ignem, ut luceret per noctem.
40 Petierunt, et adduxit coturnices,
Et pane caeli saturavit eos.
41 Scidit petram, et manavit aqua,

Cucurrit in deserto ut flumen.
42 Nam memor fuit verbi sancti sui,
Quod dederat Abrahae, servo suo.
43 Et eduxit populum suum cum gaudio,
Cum exsultatione electos suos.
44 Et dedit eis terras nationum,
Et opibus populorum potiti sunt,
45 Ut custodiant praecepta eius,
Et leges eius observent. Alleluia.

CV. 1 *Alleluia.*
Celebrate Dominum, quia bonus est,
Quia in aeternum misericordia eius.
2 Quis eloquetur opera potentiae Domini,
Enarrabit omnes laudes eius?
3 Beati qui observant praecepta,
Faciunt, quod iustum est, omni tempore!
4 Memento mei, Domine, pro benevolentia in populum tuum;
Visita me auxilio tuo,
5 Ut delecter felicitate electorum tuorum,
Ut gaudeam de gaudio populi tui,
Ut glorier cum hereditate tua.
6 Peccavimus sicut patres nostri,
Iniquitatem fecimus, impie egimus.
7 Patres nostri in Aegypto
Non consideraverunt mirabilia tua,
Non fuerunt memores multitudinis gratiarum tuarum,
Sed rebellarunt contra Altissimum ad Mare Rubrum.
8 Sed salvavit eos propter nomen suum,
Ut manifestaret potentiam suam.
9 Et increpuit Mare Rubrum et exsiccatum est,
Et duxit eos per fluctus velut per desertum.
10 Et salvavit eos de manu osoris,
Et liberavit eos de manu inimici.
11 Et aquae operuerunt adversarios eorum:
Ne unus quidem ex eis remansit.
12 Et crediderunt verbis eius,
Et cantaverunt laudes eius.
13 Cito obliti sunt opera eius:
Non sunt confisi consilio eius.
14 Et indulserunt concupiscentiae in deserto,
Et tentaverunt Deum in solitudine.
15 Et concessit eis petitionem eorum,
Sed tabem immisit eis.
16 Et inviderunt Moysi in castris,
Aaron, sancto Domini.

17 Aperta est terra et degluttivit Dathan,
Et operuit catervam Abiron.
18 Et exarsit ignis in catervam eorum:
Flamma combussit iniquos.
19 Fecerunt vitulum in Horeb,
Et adoraverunt idolum ex auro fusum.
20 Et commutaverunt gloriam suam
Cum effigie tauri comedentis faenum.
21 Obliti sunt Dei, qui salvavit eos,
Qui fecit portenta in Aegypto,
22 Mirabilia in terra Cham,
Stupenda ad Mare Rubrum.
23 Et cogitabat disperdere eos,
Nisi Moyses, electus eius,
Intercessisset apud eum,
Ut averteret iram eius, ne disperderet eos.
24 Et spreverunt terram desiderabilem;
Non crediderunt verbo eius.
25 Et murmuraverunt in tabernaculis suis,
Non oboedierunt Domino.
26 Et erecta manu iuravit eis
Se prostraturum eos in deserto,
27 Et dispersurum semen eorum inter nationes,
Et dissipaturum eos per terras.
28 Et adhaeserunt Beelphegor,
Et comederunt sacrificia deorum mortuorum.
29 Et provocaverunt eum facinoribus suis,
Et irruit in eos plaga.
30 Sed surrexit Phinees et iudicavit,
Et plaga cessavit.
31 Et imputatum est ei in meritum
In omnes generationes usque in aeternum.
32 Et irritaverunt eum ad Aquas Meriba,
Et male evenit Moysi propter eos,
33 Quia exacerbaverunt spiritum eius,
Et inconsulte locutus est labiis suis.
34 Non disperdiderunt gentes,
Quas Dominus iusserat eos.
35 Et commiscuerunt se gentibus,
Et didicerunt opera eorum;
36 Et coluerunt sculptilia eorum,
Quae laqueus facta sunt eis.
37 Et immolaverunt filios suos
Et filias suas daemoniis.
38 Et effuderunt sanguinem innocentem:
Sanguinem filiorum filiarumque suarum,

Quos immolaverunt sculptilibus Chanaan.
Et terra polluta est sanguine,
39 Et contaminati sunt operibus suis,
Et fornicati sunt facinoribus suis.
40 Et exarsit furor Domini in populum suum,
Et abominatus est hereditatem suam.
41 Et tradidit eos in manus gentium,
Et dominati sunt in eos, qui oderant eos.
42 Et tribulaverunt eos inimici eorum,
Et oppressi sunt sub manu eorum.
43 Saepenumero liberavit eos;
Ipsi autem exacerbaverunt eum consiliis suis,
Et prostrati sunt ob iniquitates suas.
44 Sed respexit tribulationem eorum,
Cum audisset orationem eorum.
45 Et recordatus est in gratiam eorum foederis sui,
Et paenituit eum propter multam misericordiam suam.
46 Et misericordiam conciliavit eis
Apud omnes qui captivos duxerant eos.
47 Salvos nos fac, Domine, Deus noster,
Et congrega nos de nationibus,
Ut celebremus nomen sanctum tuum,
Et gloriemur de laude tua.

48 Benedictus Dominus, Deus Israel, a saeculo in saeculum:
Et omnis populus dicat: amen! alleluia!

CVI. 1 Celebrate Dominum, quoniam bonus,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
2 Sic dicant qui redempti sunt a Domino,
Quos redemit de manu inimici,
3 Quosque congregavit ex terris,
Ex oriente et occasu, ex aquilone et austro.
4 Erraverunt in deserto, in solitudine,
Viam ad civitatem habitabilem non invenerunt.
5 Esuriebant et sitiebant,
Vita eorum deficiebat in ipsis.
6 Et clamaverunt ad Dominum in angustiis suis;
A tribulationibus eorum eripuit eos.
7 Et duxit eos via recta,
Ut venirent in civitatem habitabilem.
8 Gratias agant Domino pro misericordia eius,
Et pro mirabilibus eius erga filios hominum,
9 Quia satiavit animam famelicam,
Et animam esurientem implevit bonis.
10 Sederunt in tenebris et in obscuro,

Ligati miseria et ferro.
11 Nam rebellaverant contra eloquia Dei,
Et despexerant consilium Altissimi.
12 Et humiliavit aerumnis cor eorum,
Vacillarunt nec fuit qui subveniret.
13 Et clamaverunt ad Dominum in angustiis suis;
A tribulationibus eorum liberavit eos.
14 Et eduxit eos e tenebris et ex obscuro,
Et vincula eorum disrupit.
15 Gratias agant Domino pro misericordia eius,
Et pro mirabilibus eius erga filios hominum,
16 Quod confregit portas aereas
Et vectes ferreos contrivit.
17 Aegrotabant propter iniquitatem suam,
Et propter delicta sua affligebantur;
18 Omnem escam abominabatur anima eorum,
Et appropinquaverunt ad portas mortis.
19 Et clamaverunt ad Dominum in angustiis suis;
A tribulationibus eorum liberavit eos.
20 Misit verbum suum, ut sanaret eos,
Et ex interitu eriperet eos.
21 Gratias agant Domino pro misericordia eius,
Et pro mirabilibus eius erga filios hominum.
22 Et sacrificent sacrificia laudis
Et enarrent opera eius cum exsultatione.
23 Qui descenderant navibus in mare,
Mercaturam facturi in aquis magnis,
24 Hi viderunt opera Domini,
Et mirabilia eius in pelago.
25 Dixit, et concitavit ventum procellosum,
Qui in altum extulit undas eius.
26 Ascendebant usque ad caelos, descendebant usque ad ima;
Anima eorum tabescebat in malis.
27 Titubabant et nutabant ut ebrii;
Et absorpta est omnis peritia eorum.
28 Et clamaverunt ad Dominum in angustiis suis,
Et e tribulationibus eorum eduxit eos.
29 Sedavit procellam in auram lenem,
Et conticuerunt fluctus maris.
30 Et laetati sunt, quod siluerunt,
Et deduxit eos ad portum optatum.
31 Gratias agant Domino pro misericordia eius,
Et pro mirabilibus eius erga filios hominum.
32 Et celebrent eum in coetu populi,
Et in consessu seniorum laudent eum.
33 Convertit flumina in desertum,

Et fontes aquarum in terram sitientem,
34 Terram frugiferam in salsuginem,
Propter malitiam habitantium in ea.
35 Convertit desertum in lacum aquarum,
Et terram aridam in fontes aquarum.
36 Et collocavit illic esurientes,
Et condiderunt civitatem habitabilem.
37 Et seminaverunt agros et plantaverunt vineas,
Et obtinuerunt proventus frugum.
38 Et benedixit eis et multiplicati sunt valde,
Et pecora non pauca tribuit eis.
39 Et pauci facti sunt et abiecti
Ob pressuram malorum et afflictionis;
40 Sed qui effundit contemptum super principes
Eosque errare facit per invia deserta,
41 Sublevavit egenum de miseria,
Et familias fecit numerosas ut greges.
42 Vident recti et laetantur,
Et omnis malitia claudit os suum.
43 Quis est sapiens, qui observet haec,
Et probe perpendat misericordias Domini?

CVII. 1 *Canticum. Psalmus. Davidis.*
2 Firmum est cor meum, Deus, firmum cor meum;
Cantabo et psallam.
3 Evigila, anima mea; evigilate, psalterium et cithara:
Expergiscar ad auroram.
4 Laudabo te in populis, Domine,
Et psallam tibi in nationibus,
5 Quoniam magna est usque ad caelum misericordia tua,
Et usque ad nubes fidelitas tua.
6 Excelsus appare super caelos, Deus;
Super omnem terram sit gloria tua.
7 Ut liberentur dilecti tui,
Adiuva dextera tua, et exaudi nos.
8 Deus locutus est in sactuario suo:
Exsultabo et partibor Sichem,
Et vallem Succoth dimetiar;
9 Mea est terra Galaad, et mea terra Manasse,
Et Ephraim galea capitis mei, Iuda sceptrum meum,
10 Moab pelvis lotionis meae;
Super Edom ponam calceamentum meum,
De Philistaea triumphabo.
11 Quis adducet me in civitatem munitam?
Quis deducet me usque in Edom?
12 Nonne tu, Deus, qui reppulisti nos,

Nec iam egrederis, Deus, cum exercitibus nostris?
13 Da nobis auxilium contra inimicum,
Quia vanum est subsidium hominum.
14 Per Deum fortiter agemus,
Et ipse conculcabit inimicos nostros.

CVIII. 1 *Magistro chori. Davidis. Psalmus.*
Deus, laus mea, ne tacueris,
2 Quia os impium et dolosum contra me aperuerunt.
Locuti sunt mecum lingua mendaci,
3 Et sermonibus odii circumdederunt me,
Et impugnaverunt me sine causa.
4 Pro dilectione mea accusabant me:
Ego vero orabam.
5 Et retribuerunt mihi mala pro bonis,
Et odium pro dilectione mea.
6 Suscita impium contra eum,
Et accusator stet a dextris eius.
7 Cum iudicabitur, exeat condemnatus,
Et deprecatio eius irrita sit.
8 Dies eius fiant pauci,
Munus eius accipiat alter.
9 Filii eius orphani fiant,
Et uxor eius vidua.
10 Instabiles vagentur filii eius et mendicent,
Eiciantur e domibus suis devastatis.
11 Foenerator insidietur omni possessioni eius,
Et alieni diripiant fructum laboris eius.
12 Nemo exhibeat ei misericordiam,
Nec sit qui misereatur pupillorum eius.
13 Posteritas eius tradatur excidio;
In generatione altera deleatur nomen eorum.
14 Memoretur culpa patrum eius apud Dominum,
Et peccatum matris eius ne deleatur:
15 Praesentia sint Domino semper,
Et exstirpet e terra memoriam eorum.
16 Neque enim cogitavit exercere misericordiam,
Sed persecutus est hominem miserum et inopem,
Et afflictum corde, ut eum occideret.
17 Et dilexit maledictionem; veniat ei;
Noluit benedictionem: recedat ab eo.
18 Et induatur maledictione sicut vestimento:
Intret, sicut aqua, in interiora eius,
Et, sicut oleum, in ossa eius.
19 Sit ei quasi vestis quae operit eum,
Et zona qua cingitur semper.

20 Haec merces sit eis a Domino, qui me accusant,
Et qui loquuntur mala adversus animam meam.
21 Sed tu, Domine, Deus, age mecum propter nomen tuum;
Quia benigna est misericordia tua, salva me.
22 Nam ego sum miser et inops,
Et cor meum sauciatum est in me.
23 Sicut umbra, quae declinat, evanesco,
Et excutior ut locusta.
24 Genua mea vacillant ob ieiunium,
Et caro mea macie tabescit,
25 Et ego factus sum opprobrio illis;
Videntes me movent caput suum.
26 Adiuva me, Domine, Deus meus;
Salva me secundum misericordiam tuam.
27 Et sciant tuam hanc esse manum,
Te, Domine, haec fecisse.
28 Maledicant illi, sed tu benedicas;
Insurgentes in me confundantur,
Servus autem tuus laetetur.
29 Induantur, qui accusant me, ignominia,
Et operiantur, sicut pallio, confusione sua.
30 Celebrabo Dominum ore meo valde,
Et in medio multorum laudabo eum:
31 Nam astitit a dextris pauperis,
Ut a iudicibus salvum faceret eum.

CIX. 1 *Davidis, Psalmus.*
Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis,
Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.
2 Sceptrum potentiae tuae protendet Dominus ex Sion:
Dominare in medio inimicorum tuorum!
3 Tecum principatus die ortus tui in splendore sanctitatis:
Ante luciferum, tamquam rorem, genui te.
4 Iuravit Dominus et non paenitebit eum;
Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.
5 Dominus a dextris tuis:
Conteret die irae suae reges.
6 Iudicabit nationes, acervabit cadavera;
Conteret capita late per terram.
7 De torrente in via bibet,
Propterea extollet caput.

CX. 1 *Alleluia.*
Celebrabo Dominum toto corde,
In coetu iustorum et congregatione.
2 Magna sunt opera Domini,

Scrutanda omnibus qui diligunt ea.
3 Maiestas et magnificentia opus eius;
Et iustitia eius manet in aeternum.
4 Memoranda fecit mirabilia sua;
Misericors et clemens est Dominus.
5 Escam dedit timentibus se;
Memor erit in aeternum foederis sui.
6 Potentiam operum suorum manifestavit populo suo,
Ut daret eis possessionem gentium.
7 Opera manuum eius sunt fidelia et iusta;
Firma sunt omnia praecepta eius,
8 Stabilita in saecula, in aeternum,
Facta cum firmitate et aequitate.
9 Redemptionem misit populo suo,
Statuit in aeternum foedus suum;
Sanctum et venerabile est nomen eius.
10 Initium sapientiae timor Domini:
Prudenter agunt omnes, qui colunt eum;
Laus eius manet in aeternum.

CXI. 1 *Alleluia.*
Beatus vir qui timet Dominum,
Qui mandatis eius delectatur multum.
2 Potens in terra erit semen eius;
Generationi rectorum benedicetur.
3 Opes et divitiae erunt in domo eius,
Et munificentia eius manebit semper.
4 Oritur in tenebris ut lumen rectis,
Clemens et misericors et iustus.
5 Bene est viro qui miseretur et commodat,
Qui disponit res suas cum iustitia.
6 In aeternum non vacillabit;
In memoria aeterna erit iustus.
7 A nuntio tristi non timebit;
Firmum est cor eius, sperans in Domino.
8 Constans est cor eius, non timebit,
Donec confusos videat adversarios suos.
9 Distribuit, donat pauperibus,
Munificentia eius manebit semper;
Cornu eius extolletur cum gloria.
10 Peccator videbit et indignabitur,
Dentibus suis frendet et tabescet;
Desiderium peccatorum peribit.

CXII. 1 *Alleluia.*
Laudate, servi Domini,

Laudate nomen Domini.
2 Sit nomen Domini benedictum
Et nunc et usque in aeternum.
3 A solis ortu usque ad occasum eius
Laudetur nomen Domini.
4 Excelsus super omnes gentes Dominus,
Super caelos gloria eius.
5 Quis sicut Dominus, Deus noster,
Qui sedet in alto
6 Et oculos demittit in caelum et in terram?
7 Sublevat e pulvere inopem,
E stercore erigit pauperem,
8 Ut collocet eum cum principibus,
Cum principibus populi sui.
9 Habitare facit eam, quae sterilis erat in domo,
Matrem filiorum laetantem.

CXIII. 1 *Alleluia.*
Cum exiret Israel de Aegypto,
Domus Iacob de populo barbaro,
2 Factus est Iuda sanctuarium eius,
Israel regnum eius.
3 Mare vidit et fugit,
Iordanis vertit se retrorsum.
4 Montes saltarunt ut arietes,
Colles ut agnelli.
5 Quid est tibi, mare, quod fugis?
Iordanis, quod vertis te retrorsum?
6 Montes, quod saltatis ut arietes,
Colles, ut agnelli?
7 A facie Domini contremisce, terra,
A facie Dei Iacob,
8 Qui convertit petram in stagnum aquarum,
Rupem in fontes aquarum.
9 (1) Non nobis, Domine, non nobis,
Sed nomini tuo da gloriam,
Propter misericordiam tuam, propter fidelitatem tuam.
10 (2) Quare dicant gentes:
Ubinam est Deus eorum?
11 (3) Deus noster in caelo est;
Omnia, quae voluit, fecit.
12 (4) Idola eorum sunt argentum et aurum,
Opus manuum hominum.
13 (5) Os habent, et non loquuntur;
Oculos habent, et non vident.
14 (6) Aures habent, et non audiunt;

Nares habent, et non odorantur.
15 (7) Manus habent, et non palpant;
Pedes habent, et non ambulant;
Sonum non edunt gutture suo.
16 (8) Similes illis erunt, qui faciunt ea,
Omnis qui confidit in eis.
17 (9) Domus Israel confidit in Domino:
Adiutor eorum et clipeus eorum est.
18 (10) Domus Aaron confidit in Domino:
Adiutor eorum et clipeus eorum est.
19 (11) Qui timent Dominum, confidunt in Domino:
Adiutor eorum et clipeus eorum est.
20 (12) Dominus recordatur nostri
Et benedicet nobis;
Benedicet domui Israel,
Benedicet domui Aaron.
21 (13) Benedicet iis qui timent Dominum,
Tam pusillis quam maioribus.
22 (14) Dominus multiplicabit vos,
Vos et filios vestros.
23 (15) Benedicti vos a Domino,
Qui fecit caelum et terram.
24 (16) Caelum est caelum Domini,
Terram autem dedit filiis hominum.
25 (17) Non mortui laudant Dominum,
Neque ullus qui ad inferos descendit.
26 (18) Sed nos benedicimus Domino,
Et nunc et usque in aeternum.

CXIV. 1 *Alleluia.*
Diligo Dominum: quia audivit
Vocem obsecrationis meae,
2 Quia inclinavit aurem suam mihi,
Quo die invocavi eum.
3 Circumdederunt me funes mortis,
Et laquei inferorum supervenerunt mihi,
In angorem et aerumnas incidi.
4 Et nomen Domini invocavi:
O, Domine, salva vitam meam!
5 Benignus est Dominus et iustus,
Et Deus noster misericors.
6 Custodit simplices Dominus:
Miser fui et salvavit me.
7 Redi, anima mea, ad tranquillitatem tuam,
Quia Dominus bene fecit tibi.
8 Etenim eripuit animam meam a morte,

Oculos meos a lacrimis, pedes meos a lapsu.
9 Ambulabo coram Domino
In regione viventium.

CXV. 1 Confisus sum, etiam cum dixi:
Ego afflictus sum valde;
2 Ego dixi in pavore meo:
Omnis homo fallax!
3 Quid retribuam Domino
Pro omnibus quae tribuit mihi?
4 Calicem salutis accipiam,
Et nomen Domini invocabo.
5 Vota mea Domino reddam
Coram omni populo eius.
6 Pretiosa est in oculis Domini
Mors sanctorum eius.
7 O Domine, ego servus tuus sum,
Ego servus tuus, filius ancillae tuae:
Solvisti vincula mea.
8 Tibi sacrificabo sacrificium laudis,
Et nomen Domini invocabo.
9 Vota mea Domino reddam
Coram omni populo eius,
10 In atriis domus Domini,
In medio tui, Ierusalem.

CXVI. 1 *Alleluia.*
Laudate Dominum, omnes gentes,
Praedicate eum, omnes populi,
2 Quoniam confirmata est super nos misericordia eius,
Et fidelitas Domini manet in aeternum.

CXVII. 1 *Alleluia.*
Gratias agite Domino, quia bonus est;
Quia in aeternum misericordia eius.
2 Dicat domus Israel:
In aeternum misericordia eius.
3 Dicat domus Aaron:
In aeternum misericordia eius.
4 Dicant qui timent Dominum:
In aeternum misericordia eius.
5 De tribulatione invocavi Dominum;
Exaudivit me Dominus et liberavit me.
6 Dominus mecum est: non timeo;
Quid faciat mihi homo?
7 Dominus mecum est, adiutor meus,

Et ego confusos videbo inimicos meos.
8 Melius est confugere ad Dominum,
Quam confidere in homine.
9 Melius est confugere ad Dominum
Quam confidere in principibus.
10 Omnes gentes circumvenerunt me:
In nomine Domini contrivi eos.
11 Undique circumvenerunt me:
In nomine Domini contrivi eos.
12 Circumvenerunt me sicut apes;
Adusserunt, sicut ignis spinas:
In nomine Domini contrivi eos.
13 Pulsus, impulsus sum, ut caderem;
Sed Dominus adiuvit me.
14 Robur meum et fortitudo mea est Dominus;
Et factus est mihi salvator.
15 Vox exsultationis et salutis
In tabernaculis iustorum:
Dextera Domini fortiter egit,
16 Dextera Domini erexit me,
Dextera Domini fortiter egit.
17 Non moriar, sed vivam;
Et enarrabo opera Domini.
18 Castigavit, castigavit me Dominus,
Sed morti non tradidit me.
19 Aperite mihi portas iustitiae:
Ingressus per eas gratias agam Domino.
20 Haec est porta Domini,
Iusti intrabunt per eam.
21 Gratias agam tibi, quod audisti me,
Et factus es mihi salvator.
22 Lapis, quem reprobaverunt aedificantes,
Factus est caput anguli.
23 A Domino factum est istud;
Est mirabile in oculis nostris.
24 Hic est dies quem fecit Dominus;
Exsultemus et laetemur de eo.
25 O Domine, salvum fac;
O Domine, da prosperitatem!
26 Benedictus qui venit in nomine Domini;
Benedicimus vobis e domo Domini.
27 Deus est Dominus, et illuxit nobis.
Ordinate pompam cum frondibus densis
Usque ad cornua altaris.
28 Deus meus es tu, et gratias ago tibi;
Deus meus, laudibus te extollo.

29 Gratias agite Domino, quia bonus est;
In aeternum miericordia eius.

CXVIII. 1 ALEPH Beati quorum immaculata est via,
Qui ambulant in lege Domini.
2 Beati qui observant praescripta eius,
Toto corde quaerunt eum,
3 Qui non faciunt iniquitatem,
Sed ambulant in viis eius.
4 Tu dedisti praecepta tua,
Ut custodiantur valde.
5 Utinam firmae sint viae meae
Ad custodienda statuta tua!
6 Tunc non confundar,
Cum intendero ad omnia mandata tua.
7 Celebrabo te in rectitudine cordis,
Cum didicero decreta iustitiae tuae.
8 Statuta tua custodiam:
Ne dereliqueris me omnino.
9 BETH Quomodo puram servabit adulescens viam suam?
Custodiendo verba tua.
10 Toto corde meo quaero te;
Ne siveris me aberrare a mandatis tuis.
11 In corde meo recondo eloquium tuum,
Ne peccem contra te.
12 Benedictus es, Domine;
Doce me statuta tua.
13 Labiis meis enarro
Omnia decreta oris tui.
14 De via praescriptorum tuorum laetor,
Sicut de omnibus divitiis.
15 De praeceptis tuis meditabor,
Et considerabo vias tuas.
16 Statutis tuis delectabor.
Non obliviscar verba tua.
17 GHIMEL Bene fac servo tuo, ut vivam
Et custodiam verba tua.
18 Aperi oculos meos,
Ut considerem mirabilia legis tuae.
19 Hospes ego sum in terra,
Noli a me abscondere mandata tua.
20 Deficit anima mea,
Desiderans decreta tua omni tempore.
21 Increpasti superbos;
Maledicti qui declinant a mandatis tuis.
22 Aufer a me opprobrium et contemptum,

Quia praescripta tua observo.
23 Etsi considunt principes et contra me loquuntur,
Servus tuus meditatur de statutis tuis.
24 Nam praescripta tua sunt deliciae meae,
Consiliarii mei statuta tua.
25 DALETH Prostrata est in pulvere anima mea:
Redde mihi vitam secundum verbum tuum.
26 Vias meas exposui et exaudisti me:
Doce me statua tua.
27 Via praeceptorum tuorum institue me,
Et meditabor mirabilia tua.
28 Stillat lacrimas anima mea ex maerore:
Erige me secundum verbum tuum.
29 A via erroris arce me,
Et legem tuam largire mihi.
30 Viam veritatis elegi,
Decreta tua proposui mihi.
31 Adhaereo praescriptis tuis:
Domine, noli me confundere.
32 Viam mandatorum tuorum curram,
Cum dilataveris cor meum.
33 HE Ostende mihi, Domine, viam statutorum tuorum,
Et servabo eam ad amussim.
34 Instrue me, ut observem legem tuam,
Et custodiam illam toto corde meo.
35 Deduc me in semita mandatorum tuorum,
Quia ipsa delector.
36 Inclina cor meum in praescripta tua,
Et non in avaritiam.
37 Averte oculos meos, ne videant vanitatem;
Per viam tuam da mihi vitam.
38 Adimple servo tuo promissum tuum,
Quod datum est timentibus te.
39 Aufer opprobrium meum, quod formido,
Quia decreta tua iucunda.
40 Ecce desidero praecepta tua:
Secundum aequitatem tuam tribue mihi vitam.
41 VAU Et veniant super me miserationes tuae, Domine,
Auxilium tuum, secundum promissum tuum.
42 Et respondebo verbum exprobrantibus mihi,
Quia spero in verbis tuis.
43 Noli auferre de ore meo verbum veritatis,
Quia in decretis tuis spero.
44 Et custodiam legem tuam semper,
In saeculum et in sempiternum.
45 Et ambulabo in via spatiosa,

Quia praecepta tua exquiro.
46 Et loquar de praescriptis tuis in conspectu regum,
Et non confundar.
47 Et delectabor mandatis tuis,
Quae diligo.
48 Et attollam manus meas ad mandata tua
Et meditabor statuta tua.
49 ZAIN Memor esto verbi tui servo tuo,
Quo mihi spem dedisti.
50 Hoc est solacium meum in afflictione mea,
Quod eloquium tuum largitur mihi vitam.
51 Superbi insultant mihi vehementer;
A lege tua non declino.
52 Memor sum antiquorum iudiciorum tuorum, Domine,
Et solacium est mihi.
53 Indignatio tenet me propter peccatores,
Qui derelinquunt legem tuam.
54 Carmina facta sunt mihi statuta tua
In loco peregrinationis meae.
55 Memor sum nocte nominis tui, Domine,
Et custodiam legem tuam.
56 Hoc factum est mihi,
Quia praecepta tua servavi.
57 HETH Portionem meam dixi, Domine,
Custodire verba tua.
58 Deprecor faciem tuam toto corde,
Miserere mei secundum promissum tuum.
59 Perpendi vias meas,
Et converti pedes meos ad praescripta tua.
60 Festinavi et non sum cunctatus
Custodire mandata tua.
61 Funes peccatorum circumplexi sunt me:
Legem tuam non sum oblitus.
62 Media nocte surgo ad celebrandum te
De iustis decretis tuis.
63 Amicus sum omnium timentium te
Et custodientium praecepta tua.
64 Gratia tua, Domine, plena est terra;
Statuta tua doce me.
65 TETH Bene fecisti servo tuo,
Domine, secundum verbum tuum.
66 Iudicium et scientiam doce me,
Quia mandatis tuis confido.
67 Priusquam afflictus sum, erravi;
Nunc vero eloquium tuum custodio.
68 Bonus es tu et benefaciens;

Doce me statuta tua.
69 Machinantur fraudes contra me superbi,
Ego toto corde observo praecepta tua.
70 Incrassatum est ut adeps cor eorum;
Ego lege tua delector.
71 Bonum mihi, quod afflictus sum,
Ut discam statuta tua.
72 Melior est mihi lex oris tui,
Quam milia auri et argenti.
73 IOD Manus tuae fecerunt me et formaverunt me;
Instrue me, ut discam mandata tua.
74 Qui timent te, videbunt me et laetabuntur,
Quod in verbum tuum speravi.
75 Scio, Domine, iusta esse decreta tua,
Et iure afflixisti me.
76 Adsit misericordia tua, ut consoletur me,
Secundum promissum quod dedisti servo tuo.
77 Veniant mihi miserationes tuae, ut vivam,
Quia lex tua delectatio mea est.
78 Confundantur superbi, quia immerito affligunt me:
Ego meditabor de praeceptis tuis.
79 Convertantur ad me timentes te,
Et qui curant praescripta tua.
80 Sit cor meum perfectum in statutis tuis,
Ut non confundar.
81 CAPH Deficit desiderio auxilii tui anima mea;
In verbum tuum spero.
82 Deficiunt oculi mei desiderio eloquii tui:
Quando cosolaberis me?
83 Nam, factus sicut uter in fumo,
Statuta tua non sum oblitus.
84 Quot sunt dies servi tui?
Quando facies de persequentibus me iudicium?
85 Foderunt mihi superbi foveas,
Qui non secundum legem tuam agunt.
86 Omnia mandata tua sunt fidelia;
Immerito persequuntur me: adiuva me.
87 Propemodum confecerunt me in terra;
Ego autem non dereliqui praecepta tua.
88 Secundum misericordiam tuam serva me vivum,
Et custodiam praescripta oris tui.
89 LAMED In aeternum, Domine, est verbum tuum
Stabile ut caelum.
90 In generationem et generationem est fidelitas tua:
Condidisti terram, quae permanet.
91 Secundum decreta tua constant omni tempore,

Quia universa serviunt tibi.
92 Nisi lex tua delectatio mea esset,
Iam perissem in afflictione mea.
93 In aeternum non obliviscar praecepta tua,
Quia ipsis dedisti mihi vitam.
94 Tuus sum ego: salvum me fac,
Quoniam praecepta tua quaesivi.
95 Me exspectant peccatores ut perdant me;
Ad praescripta tua attendo.
96 Omnis perfectionis vidi esse terminum:
Latissime patet mandatum tuum.
97 MEM Quam diligo legem tuam, Domine!
Toto die meditatio mea est.
98 Inimicis meis sapientiorem me fecit mandatum tuum,
Quia in aeternum mecum est.
99 Omnibus docentibus me prudentior sum,
Quia de praescriptis tuis meditatio mea est.
100 Senibus intellegentior sum,
Quia praecepta tua observo.
101 Ab omni via mala cohibeo pedes meos,
Ut custodiam verba tua.
102 A decretis tuis non declino,
Quia tu docuisti me.
103 Quam dulcia palato meo eloquia tua!
Super mel sunt ori meo.
104 Praeceptis tuis intellegens fio,
Propterea odi omnem viam iniquitatis.
105 NUN Lucerna pedibus meis verbum tuum,
Et lumen semitae meae.
106 Iuro et statuo
Custodire iusta decreta tua.
107 Afflictus sum vehementer, Domine:
Vivum me serva secundum verbum tuum.
108 Oblationes oris mei accipe, Domine,
Et decreta tua doce me.
109 Vita mea periclitatur semper,
Sed legem tuam non obliviscor.
110 Posuerunt peccatores laqueum mihi,
Sed a praeceptis tuis non aberravi.
111 Hereditas mea praescripta tua in aeternum,
Quia gaudium cordis mei sunt.
112 Inclinavi cor meum ad statuta tua implenda:
Perpetuo, ad amussim.
113 SAMECH Duplices corde odio habeo,
Et diligo legem tuam.
114 Protector meus et clipeus meus es tu:

In verbum tuum spero.
115 Discedite a me maligni,
Et observabo mandata Dei mei.
116 Sustenta me secundum promissum tuum, et vivam;
Noli confundere spem meam.
117 Adiuva me et salvus ero,
Et attendam ad statuta tua semper.
118 Spernis omnes discedentes statutis tuis,
Quia mendax est cogitatio eorum.
119 Scorias reputas omnes peccatores terrae,
Ideo diligo praescripta tua.
120 Horrescit timore tui caro mea,
Et decreta tua timeo.
121 AIN Exercui ius et iustitiam:
Noli me tradere opprimentibus me.
122 Sponde pro servo tuo in bonum,
Ne opprimant me superbi.
123 Oculi mei deficiunt desiderio auxilii tui,
Et iusti eloquii tui.
124 Fac cum servo tuo secundum bonitatem tuam,
Et statuta tua doce me.
125 Servus tuus sum ego, instrue me,
Ut cognoscam praescripta tua.
126 Tempus agendi est Domino:
Violaverunt legem tuam.
127 Ideo diligo mandata tua,
Plus quam aurum et obryzum.
128 Ideo omnia praecepta tua elegi mihi;
Omnem viam falsam odio habeo.
129 PHE Mirabilia sunt praescripta tua,
Ideo observat ea anima mea.
130 Declaratio verborum tuorum illuminat,
Docet inexpertos.
131 Os meum aperio et attraho auram,
Quia mandata tua desidero.
132 Convertere ad me et miserere mei,
Ut soles erga diligentes nomen tuum.
133 Gressus meos dirige secundum eloquium tuum,
Neque ulla dominetur in me nequitia.
134 Libera me ab oppressione hominum,
Et custodiam praecepta tua.
135 Serenum praebe vultum tuum servo tuo,
Et doce me statuta tua.
136 Rivi aquarum fluxerunt de oculis meis,
Quia non custodierunt legem tuam.
137 SADE Iustus es, Domine,

Et rectum iudicium tuum.
138 Cum iustitia imposuisti praescripta tua
Et cum firmitate magna.
139 Consumit me zelus meus,
Quia obliviscuntur verba tua adversarii mei.
140 Probatum est eloquium tuum valde,
Et servus tuus diligit illud.
141 Parvulus sum et contemptus:
Praecepta tua non obliviscor.
142 Iustitia tua est iustitia aeterna,
Et lex tua firma.
143 Angustia et tribulatio venerunt super me,
Mandata tua deliciae meae sunt.
144 Iustitia praescriptorum tuorum aeterna est,
Instrue me et vivam.
145 COPH Clamo ex toto corde meo: exaudi me, Domine;
Statuta tua observo.
146 Clamo ad te; salvum me fac,
Et custodiam praescripta tua.
147 Venio diluculo et auxilium imploro;
Spero in verba tua.
148 Praeveniunt oculi mei vigilias noctis,
Ut mediter eloquium tuum.
149 Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine,
Et secundum decretum tuum da mihi vitam.
150 Appropinquant persequentes me inique;
A lege tua longe absunt.
151 Prope es tu, Domine
Et omnia mandata tua fidelia.
152 Pridem cognovi ex praescriptis tuis
Te in aeternum fundasse ea.
153 RES Vide afflictionem meam et eripe me,
Quia legem tuam non sum oblitus.
154 Defende causam meam et redime me;
Secundum eloquium tuum largire mihi vitam.
155 Longe a peccatoribus salus,
Quia statuta tua non curant.
156 Miserationes tuae multae, Domine;
Secundum decreta tua largire mihi vitam.
157 Multi persequuntur me et tribulant me:
A praescriptis tuis non declino.
158 Vidi praevaricantes et taeduit me,
Quia eloquium tuum non custodierunt.
159 Vide, praecepta tua diligo, Domine;
Secundum misericordiam tuam vivum me serva.
160 Verbi tui caput constantia est,

Et aeternum est omne decretum iustitiae tuae.
161 SIN Principes persequuntur me sine causa,
Verba autem tua veretur cor meum.
162 Laetor de eloquiis tuis,
Sicut qui invenit praedam multam.
163 Iniquitatem odio habeo et detestor;
Diligo legem tuam.
164 Septies in die laudem dico tibi
Propter iusta iudicia tua.
165 Pax multa diligentibus legem tuam,
Neque ullum est illis offendiculum.
166 Praestolor auxilium tuum, Domine,
Et facio mandata tua.
167 Custodit anima mea praescripta tua,
Et diligit ea valde.
168 Custodio praecepta et iussa tua,
Quia omnes viae meae in conspectu tuo.
169 TAU Clamor meus ad te veniat, Domine:
Secundum verbum tuum instrue me.
170 Perveniat precatio mea ad te,
Secundum eloquium tuum eripe me.
171 Fundant labia mea hymnum,
Cum docueris me statuta tua.
172 Cantet lingua mea eloquium tuum,
Quia omnia mandata tua sunt iusta.
173 Adsit manus tua, ut adiuvet me,
Quia praecepta tua elegi.
174 Cupio salutem a te, Domine,
Et lex tua delectatio mea est.
175 Vivat anima mea et laudet te,
Et decreta tua adiuvent me.
176 Oberro ut ovis quae periit; quaere servum tuum,
Quia mandata tua non sum oblitus.

CXIX. 1 *Canticum ascensionum.*
Ad Dominum, cum tribularer, clamavi
Et exaudivit me.
2 Domine, libera animam meam a labio iniquo,
A lingua dolosa.
3 Quid dabit tibi aut quid addet tibi,
Lingua dolosa?
4 Sagittas potentis acutas
Et carbones genistarum.
5 Heu mihi, quod dego in Mosoch,
Habito in tentoriis Cedar!
6 Nimium habitavit anima mea

Cum iis, qui oderunt pacem.
7 Ego pacem cum loquor,
Illi urgent ad bellum.

CXX. 1 *Canticum ascensionum.*
Attollo oculos meos in montes:
Unde veniet auxilium mihi?
2 Auxilium meum a Domino,
Qui fecit caelum et terram.
3 Non sinet nutare pedem tuum,
Non dormitabit, qui custodit te.
4 Ecce non dormitabit neque dormiet,
Qui custodit Israel.
5 Dominus custodit te,
Dominus protectio tua a latere dextro tuo.
6 Per diem sol non feriet te,
Neque luna per noctem.
7 Dominus custodiet te ab omni malo:
Custodiet animam tuam.
8 Dominus custodiet exitum tuum et introitum tuum,
Et nunc et usque in saeculum.

CXXI. 1 *Canticum ascensionum. Davidis.*
Laetatus sum, quia dixerunt mihi:
In domum Domini ibimus.
2 Iam consistunt pedes nostri
In portis tuis, Ierusalem,
3 Ierusalem quae aedificata est ut civitas,
In se compacta tota.
4 Illuc ascendunt tribus, tribus Domini,
Secundum legem Israel, ad celebrandum nomen Domini.
5 Illic positae sunt sedes iudicii,
Sedes domus David.
6 Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem!
Securi sint qui diligunt te!
7 Sit pax in moenibus tuis,
Securitas in palatiis tuis!
8 Propter fratres meos et sodales meos
Loquar: Pax in te!
9 Propter domum Domini, Dei nostri,
Precabor bona tibi.

CXXII. 1 *Canticum ascensionum.*
Ad te attollo oculos meos,
Qui habitas in caelis.
2 Ecce, sicut oculi servorum

Ad manus dominorum suorum,
Sicut oculi ancillae
Ad manus dominae suae:
Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum,
Donec misereatur nostri.
3 Miserere nostri, Domine, miserere nostri,
Quia multum satiati sumus despectione;
4 Multum satiata est anima nostra
Irrisione abundantium, despectione superborum.

CXXIII. 1 *Canticum ascensionum. Davidis.*
Nisi Dominus fuisset pro nobis,
Dicat iam Israel,
2 Nisi Dominus fuisset pro nobis:
Cum insurgerent homines in nos,
3 Tunc vivos deglutissent nos.
Cum excandesceret furor eorum in nos,
4 Tunc aqua submersisset nos;
Torrens transisset super nos;
5 Tunc transissent super nos aquae tumentes.
6 Benedictus Dominus, qui non dedit nos
In praedam dentibus eorum.
7 Anima nostra sicut avis erepta est
De laqueo venantium:
Laqueus contritus est,
Et nos liberati sumus.
8 Adiutorium nostrum in nomine Domini,
Qui fecit caelum et terram.

CXXIV. 1 *Canticum ascensionum.*
Qui confidunt in Domino, sunt sicut mons Sion,
Qui non commovetur, qui manet in aeternum.
2 Ierusalem circumdant montes:
Ita Dominus circumdat populum suum,
Et nunc et in aeternum.
3 Neque enim manebit sceptrum impiorum
Super sortem iustorum,
Ne extendant iusti
Ad iniquitatem manus suas.
4 Benefac, Domine, bonis
Et rectis corde.
5 Qui autem declinant in vias suas obliquas,
Abigat eos Dominus cum male agentibus:
Pax super Israel!

CXXV. 1 *Canticum ascensionum.*
Cum reduceret Dominus captivos Sion,
Fuimus sicut somniantes.
2 Tunc repletum est risu os nostrum,
Et lingua nostra exsultatione.
Tunc dixerunt inter gentes:
Magnifice fecit Dominus cum eis.
3 Magnifice fecit Dominus nobiscum:
Facti sumus laetantes!
4 Verte, Domine, sortem nostram,
Sicut torrentes in terra australi.
5 Qui seminant in lacrimis,
In exsultatione metent.
6 Euntes eunt et plorant,
Semen spargendum portantes:
Venientes venient cum exsultatione,
Portantes manipulos suos.

CXXVI. 1 *Canticum ascensionum. Salomonis.*
Nisi Dominus aedificaverit domum,
In vanum laborant qui aedificant eam.
Nisi Dominus custodierit civitatem,
In vanum vigilat custos.
2 Vanum est vobis surgere ante lucem,
Sedere in multam noctem,
Qui manducatis panem duri laboris:
Quoniam largitur dilectis suis in somno.
3 Ecce donum Domini sunt filii,
Merces est fructus ventris.
4 Sicut sagittae in manu bellatoris,
Ita filii iuventutis.
5 Beatus vir qui eis implevit pharetram suam:
Non confundentur, cum contenderint cum inimicis in porta.

CXXVII. 1 *Canticum ascensionum.*
Beatus, quicumque times Dominum,
Qui ambulas in viis eius!
2 Nam laborem manuum tuarum manducabis,
Beatus eris et bene tibi erit.
3 Uxor tua sicut vitis fructifera
In penetralibus domus tuae,
Filii tui ut surculi olivarum
Circa mensam tuam.
4 Ecce sic benedicitur viro,
Qui timet Dominum!
5 Benedicat tibi Dominus ex Sion,

Ut videas prosperitatem Ierusalem omnibus diebus vitae tuae;
6 Ut videas filios filiorum tuorum:
Pax super Israel!

CXXVIII. 1 *Canticum ascensionum.*
Multum oppugnaverunt me a iuventute mea,
Dicat nunc Israel:
2 Multum oppugnaverunt me a iuventute mea,
Sed non devicerunt me.
3 Supra dorsum meum araverunt aratores,
Longos duxerunt sulcos suos.
4 Dominus autem iustus
Concidit funes impiorum.
5 Confundantur et cedant retro
Omnes qui oderunt Sion.
6 Similes fiant gramini tectorum,
Quod, prius quam evellatur, arescit;
7 Quo non implet manum suam, qui metit,
Nec sinum suum, qui manipulos colligit.
8 Nec dicunt qui praetereunt:
Benedictio Domini super vos!
Benedicimus vobis in nomine Domini.

CXXIX. 1 *Canticum ascensionum.*
De profundis clamo ad te, Domine,
2 Domine, audi vocem meam!
Fiant aures tuae intentae
Ad vocem obsecrationis meae.
3 Si delictorum memoriam servaveris, Domine,
Domine, quis sustinebit?
4 Sed penes te est peccatorum venia,
Ut cum reverentia serviatur tibi.
5 Spero in Dominum,
Sperat anima mea in verbum eius;
Exspectat 6 anima mea Dominum,
Magis quam custodes auroram.
Magis quam custodes auroram,
7 Exspectet Israel Dominum,
Qui penes Dominum misericordia
Et copiosa penes eum redemptio:
8 Et ipse redimet Israel
Ex omnibus iniquitatibus eius.

CXXX. 1 *Canticum ascensionum. Davidis.*
Domine, non superbit cor meum,
Neque extolluntur oculi mei,

Nec prosequor res grandes
Aut altiores me ipso.
2 Immo composui et pacavi
Animam meam,
Sicut parvulus in gremio matris suae:
Sicut parvulus, ita in me est anima mea.
3 Spera, Israel, in Domino,
Et nunc et usque in saeculum.

CXXXI. 1 *Canticum ascensionum.*
Memento, Domine, in gratiam David
Omnis sollicitudinis eius:
2 Quomodo iuraverit Domino,
Votum voverit Potenti Iacob:
3 Non intrabo in habitaculum domus meae,
Non ascendam in stratum lecti mei,
4 Non concedam somnum oculis meis,
Palpebris meis quietem,
5 Donec invenero locum Domino,
Habitationem Potenti Iacob.
6 Ecce, audivimus de illa in Ephrata;
Invenimus eam in campis Iaar.
7 Intremus in habitationem eius,
Procidamus ante scabellum pedum eius.
8 Surge, Domine, in locum quietis tuae,
Tu et arca maiestatis tuae.
9 Sacerdotes tui induant iustitiam,
Et sancti tui exsultantes exsultent.
10 Propter David, servum tuum,
Noli repellere faciem uncti tui.
11 Iuravit Dominus David
Promissum firmum a quo non recedet:
Subolem generis tui
Ponam super solium tuum.
12 Si custodierint filii tui pactum meum,
Et praecepta quae docebo eos,
Etiam filii eorum in sempiternum
Sedebunt super solium tuum.
13 Nam Dominus elegit Sion,
Eam optavit sedem sibi:
14 Haec est requies mea in sempiternum,
Hic habitabo, quoniam optavi eam.
15 Victui eius benedicens benedicam,
Pauperes eius saturabo pane.
16 Sacerdotes eius induam salute,
Et sancti eius exsultantes exsultabunt.

17 Illic David suscitabo cornu,
Parabo lucernam uncto meo.
18 Inimicos eius induam confusione,
Super ipsum autem fulgebit diadema meum.

CXXXII. 1 *Canticum ascensionum. Davidis.*
Ecce quam bonum et quam iucundum,
Habitare fratres in unum:
2 Sicut oleum optimum in capite,
Quod defluit in barbam, barbam Aaron,
Quod defluit in oram vestimenti eius;
3 Sicut ros Hermon,
Qui descendit super montem Sion:
Nam illic largitur Dominus benedictionem,
Vitam usque in saeculum.

CXXXIII. 1 *Canticum ascensionum.*
Ecce benedicite Domino,
Omnes servi Domini;
Qui statis in domo Domini
Horis nocturnis.
2 Extollite manus vestras ad sancta
Et benedicite Domino.
3 Ex Sion benedicat tibi Dominus,
Qui fecit caelum et terram.

CXXXIV. 1 *Alleluia.*
Laudate nomen Domini;
Laudate, servi Domini,
2 Qui statis in domo Domini,
In atriis domus Dei nostri.
3 Laudate Dominum, quia bonus Dominus;
Psallite nomini eius, quoniam suave.
4 Nam Iacob elegit sibi Dominus,
Israel in peculium suum.
5 Novi equidem hoc: magnus est Dominus,
Et Dominator noster prae omnibus diis.
6 Quaecumque vult Dominus, facit in caelo et in terra,
In mari et in omnibus profundis aquarum.
7 Adducit nubes ab extremo terrae,
Fulguribus pluviam facit,
Promit ventum de receptaculis suis.
8 Percussit primogenita Aegypti,
Homines aeque ac pecora.
9 Edidit signa et portenta in te, Aegypte,
In Pharaonem et in omnes servos eius.

10 Percussit gentes multas
Et occidit reges potentes:
11 Sehon, regem Amorrhaeorum, et Og, regem Basan,
Et omnes reges Chanaan,
12 Et dedit terram eorum in possessionem,
In possessionem Israel, populo suo.
13 Domine, nomen tuum in aeternum manet,
Domine, memoria tua in generationem et generationem.
14 Nam Dominus tuetur populum suum,
Et servorum suorum miseretur.
15 Idola gentium argentum et aurum,
Opera manuum hominum:
16 Os habent, et non loquuntur;
Oculos habent, et non vident;
17 Aures habent, et non audiunt;
Et non est halitus in ore eorum.
18 Similes illis fiunt, qui faciunt ea,
Omnis qui confidit in eis.
19 Domus Israel, benedicite Domino;
Domus Aaron, benedicite Domino.
20 Domus Levi, benedicite Domino;
Qui colitis Dominum, benedicite Domino.
21 Benedictus Dominus ex Sion,
Qui habitat in Ierusalem.

CXXXV. 1 *Alleluia.*
Laudate Dominum, quoniam bonus,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
2 Laudate Deum deorum,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
3 Laudate Dominum dominorum,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
4 Qui fecit mirabilia magna solus,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
5 Qui fecit caelos cum sapientia,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
6 Qui extendit terram super aquas,
Quoniam in aeternum misericordia eius:
7 Qui fecit lumina magna,
Quoniam in aeternum misericordia eius:
8 Solem, ut praesit diei,
Quoniam in aeternum misericordia eius,
9 Lunam et stellas, ut praesint nocti,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
10 Qui percussit Aegyptios in primogenitis eorum,
Quoniam in aeternum misericordia eius.

11 Et eduxit Israel e medio eorum,
Quoniam in aeternum misericordia eius,
12 Manu potenti et bracchio extento,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
13 Qui divisit Mare Rubrum in partes,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
14 Et traduxit Israel per medium eius,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
15 Et detrusit Pharaonem et exercitum eius in Mare Rubrum,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
16 Qui duxit populum suum per desertum,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
17 Qui percussit reges magnos,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
18 Et occidit reges potentes,
Quoniam in aeternum misericordia eius:
19 Sehon, regem Amorrhaeorum,
Quoniam in aeternum misericordia eius,
20 Et Og, regem Basan,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
21 Et dedit terram eorum in possessionem,
Quoniam in aeternum misericordia eius,
22 In possessionem Israel, servo suo,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
23 Qui in humilitate nostra recordatus est nostri,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
24 Et liberavit nos ab inimicis nostris,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
25 Qui dat escam omni carni,
Quoniam in aeternum misericordia eius.
26 Laudate Deum caeli,
Quoniam in aeternum misericordia eius.

CXXXVI. 1 Ad flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus,
Cum recordaremur Sion.
2 In salicibus terrae illius
Suspendimus citharas nostras.
3 Nam illic, qui abduxerant nos, rogaverunt a nobis cantica,
Et qui affligebant nos, laetitiam:
Cantate nobis ex canticis Sion!
4 Quomodo cantabimus canticum Domini
In terra aliena?
5 Si oblitus ero tui, Ierusalem,
Oblivioni detur dextera mea!
6 Adhaereat lingua mea faucibus meis,
Si non meminero tui,

Si non posuero Ierusalem
Super omnem laetitiam meam.
7 Recordare, Domine, contra filios Edom
Diem Ierusalem,
Qui dixerunt: Evertite, evertite
Ipsa fundamenta in ea!
8 Filia Babylonis vastatrix,
Beatus qui rependet tibi
Mala quae intulisti nobis!
9 Beatus qui apprehendet et allidet
Parvulos tuos ad petram!

CXXXVII. 1 *Davidis.*
Celebrabo te, Domine, ex toto corde meo,
Quia audisti verba oris mei:
In conspectu Angelorum psallam tibi,
2 Prosternam me ad templum sanctum tuum,
Et celebrabo nomen tuum
Propter bonitatem et fidem tuam,
Quia magnum fecisti super omnia
Nomen tuum et promissum tuum.
3 Quando te invocavi, exaudisti me,
Multiplicasti in anima mea robur.
4 Celebrabunt te, Domine, omnes reges terrae,
Cum audierunt verba oris tui;
5 Et cantabunt vias Domini:
Vere, magna est gloria Domini.
6 Vere excelsus est Dominus, et humilem respicit,
Superbum autem e longinquo contuetur.
7 Si ambulo in medio tribulationis, vivum me servas,
Contra iram inimicorum meorum extendis manum tuam,
Salvum me facit dextera tua.
8 Dominus pro me perficiet coepta.
Domine, bonitas tua in aeternum manet;
Ne dereliqueris opus manuum tuarum.

CXXXVIII. 1 *Magistro chori. Davidis. Psalmus.*
Domine, scrutaris me et novisti,
2 Tu novisti me, cum sedeo et cum surgo.
Intellegis cogitationes meas e longinquo;
3 Cum ambulo et cum recumbo, tu perspicis,
Et ad omnes vias meas advertis.
4 Cum verbum nondum est super linguam meam:
Ecce, Domine, iam nosti totum.
5 A tergo et a fronte complecteris me,
Et ponis super me manum tuam.

6 Nimis mirabilis est mihi scientia haec,
Sublimis: non capio eam.
7 Quo abeam procul a spiritu tuo?
Et quo a facie tua fugiam?
8 Si ascendam in caelum, illic es;
Si apud inferos me sternam, ades.
9 Si sumam pennas aurorae,
Si habitem in termino maris:
10 Etiam illic manus tua ducet me,
Et tenebit me dextera tua.
11 Si dicam: Tenebrae saltem operient me,
Et nox instar lucis circumdabit me:
12 Ipsae tenebrae non erunt obscurae tibi,
Et nox sicut dies lucebit:
Caligo est tibi sicut lux.
13 Tu enim formasti renes meos,
Texuisti me in utero matris meae.
14 Laudo te, quod tam mirifice factus sum,
Quod mirabilia sunt opera tua.
Et animam meam novisti perfecte,
15 Non latuit te substantia mea,
Quando in occulto formabar,
Quando texebar in profundis terrae.
16 Actus meos viderunt oculi tui,
Et in libro tuo scripti sunt omnes;
Dies sunt definiti, priusquam esset vel unus ex eis.
17 Mihi autem quam ardua sunt consilia tua, Deus,
Quam ingens summa eorum!
18 Si dinumerem ea, plura sunt quam arena;
Si pervenerim ad finem, adhuc sum tecum.
19 Utinam occidas impium, Deus,
Et viri sanguinum recedant a me!
20 Nam rebellant contra te dolose,
Perfide se efferunt hostes tui.
21 Nonne, qui oderunt te, Domine, eos odio habeo,
Qui insurgunt in te, sunt mihi taedio?
22 Perfecto odio odi eos;
Inimici facti sunt mihi.
23 Scrutare me, Deus, et cognosce cor meum;
Proba me, et cognosce sensa mea,
24 Et vide, num via prava incedam,
Et deduc me via antiqua.

CXXXIX. 1 *Magistro chori. Psalmus. Davidis.*
2 Eripe me, Domine, ab homine malo,
A viro violento custodi me:

3 Ab iis qui cogitant mala in corde,
Omni die excitant lites,
4 Acuunt linguas suas ut serpens:
Venenum aspidum sub labiis eorum.
5 Salva me, Domine, a manibus iniqui,
A viro violento custodi me:
Qui cogitant evertere gressus meos,
6 Superbi abscondunt laqueum mihi,
Et funes extendunt ut rete,
Iuxta viam tendiculas collocant mihi.
7 Dico Domino: Deus meus es tu;
Ausculta, Domine, vocem obsecrationis meae.
8 Domine, Deus, potens auxilium meum!
Tegis caput meum die pugnae.
9 Ne concesseris, Domine, desideria iniqui,
Noli implere consilia eius.
Extollunt 10 caput qui me circumdant:
Malitia labiorum eorum obruat eos.
11 Pluat super eos carbones ignitos;
In foveam deiciat eos, ne resurgant.
12 Vir linguae malae non durabit in terra;
Virum violentum repente capient mala.
13 Novi Dominum ius reddere egeno,
Iustitiam pauperibus.
14 Profecto iusti celebrabunt nomen tuum,
Recti habitabunt in conspectu tuo.

CXL. 1 *Psalmus. Davidis.*
Domine, clamo ad te: cito succurre mihi;
Ausculta vocem meam, cum ad te clamo.
2 Dirigatur ad te oratio mea sicut incensum,
Elatio manuum mearum ut sacrificium verpertinum.
3 Pone, Domine, custodiam ad os meum,
Excubias ad ostium labiorum meorum.
4 Ne inclinaveris cor meum ad rem malam,
Ad impie patranda facinora;
Neque cum viris iniqua agentibus
Vescar unquam lautis cibis eorum.
5 Percutiat me iustus: haec pietas est;
Increpet me: oleum est capitis,
Quod non recusabit caput meum,
Sed semper orabo sub malis eorum.
6 Demissi sunt iuxta petram principes eorum,
Et audierunt, quam lenia essent verba mea.
7 Ut cum terram quis sulcat et findit,
Sparsa sunt ossa eorum ad fauces inferni.

8 Nam ad te, Domine Deus, convertuntur oculi mei;
Ad te confugio: ne perdideris animam meam.
9 Custodi me a laqueo, quem posuerunt mihi,
Et a tendiculis agentium iniqua.
10 Cadant in retia sua impii simul,
Dum ego salvus evadam.

CXLI. 1 *Maskil. Davidis, cum esset in caverna. Precatio.*
2 Voce magna ad Dominum clamo,
Voce magna Dominum obsecro.
3 Effundo coram eo sollicitudinem meam,
Angustiam meam coram ipso pando.
4 Cum anxiatur in me spiritus meus,
Tu novisti viam meam.
In via qua incedo,
Absconderunt laqueum mihi.
5 Respicio ad dextram et video,
Et non est, qui de me curet.
Non est, quo fugiam,
Non est, qui prospiciat vitae meae.
6 Clamo ad te, Domine;
Dico: Tu es refugium meum,
Portio mea in terra viventium.
7 Attende ad clamorem meum,
Quia miser factus sum valde.
Eripe me a persequentibus me,
Quia me fortiores sunt.
8 De carcere educ me,
Ut gratias agam nomini tuo.
Iusti circumdabunt me,
Cum bene feceris mihi.

CXLII. 1 *Psalmus. Davidis.*
Domine, audi orationem meam,
Percipe obsecrationem meam pro fidelitate tua,
Exaudi me pro tua iustitia.
2 Ne vocaveris in iudicium servum tuum,
Quia nemo vivens iustus est coram te.
3 Nam inimicus persequitur animam meam:
Prostravit in terram vitam meam,
Collocavit me in tenebris sicut pridem defunctos.
4 Et defecit in me spiritus meus;
Intra me obriguit cor meum.
5 Memini dierum antiquorum,
Meditor de omnibus operibus tuis,
Facta manuum tuarum perpendo.

6 Expando manus meas ad te;
Anima mea, ut terra arida, te sitit.
7 Velociter exaudi me, Domine:
Nam deficit spiritus meus.
Noli abscondere faciem tuam a me,
Ne similis fiam descendentibus in foveam.
8 Fac cito percipiam gratiam tuam,
Quia in te confido.
Notum fac mihi, qua via incedam,
Quia ad te attollo animam meam,
9 Eripe me de inimicis meis, Domine:
In te spero.
10 Doce me facere voluntatem tuam,
Quia tu es Deus meus.
Spiritus tuus bonus est:
Ducat me in terra plana.
11 Propter nomen tuum, Domine, vivum me serva;
Pro clementia tua educ de angustiis animam meam.
Et pro gratia tua destrue inimicos meos,
Et perde omnes qui tribulant animam meam:
Nam ego sum servus tuus.

CXLIII. 1 *Davidis.*
Benedictus Dominus, Petra mea,
Qui docet manus meas proelium, digitos meos bellum,
2 Misericordia mea et arx mea,
Praesidium meum et liberator meus,
Clipeus meus et refugium meum,
Qui subdit populos mihi.
3 Domine, quid est homo, quod curas de eo,
Filius hominis, quod de eo cogitas?
4 Homo similis est flatui aurae,
Dies eius umbrae, quae transit.
5 Domine, inclina caelos tuos et descende,
Tange montes et fumabunt;
6 Fulmina fulmen et disperge eos,
Emitte sagittas tuas et conturba eos;
7 Porrige manum tuam de alto,
Eripe me et libera me ex aquis multis, e manu alienigenarum.
8 Quorum os mendacium loquitur
Et dextera iurat falsum.
9 Deus, canticum novum cantabo tibi,
Psalterio decachordo psallam tibi,
10 Qui das victoriam regibus,
Qui eripuisti David, servam tuum.
A gladio malo 11 eripe me,

Et libera me e manu alienigenarum,
Quorum os mendacium loquitur,
Et dextera iurat falsum.
12 Filii nostri similes sint plantis,
Crescentes in adulescentia sua;
Filiae nostrae quasi columnae angulares,
Sculptae ut columnae templi.
13 Horrea nostra sint plena,
Copiosa omnibus fructibus;
Oves nostrae, milies fecundae,
In myriadas augeantur in campis nostris;
14 Iumenta nostra sint onusta.
Ne sit ruptura moenium aut exsilium,
Neve planctus in plateis nostris.
15 Beatus populus cui sunt talia;
Beatus populus, cuius Deus est Dominus.

CXLIV. 1 *Laudes. Davidis.*
Praedicabo te, Deus meus, rex;
Et benedicam nomini tuo in saeculum saeculi,
2 Omni die benedicam tibi,
Et laudabo nomen tuum in saeculum saeculi.
3 Magnus est Dominus et laudabilis valde,
Neque explorari potest magnitudo eius.
4 Generatio generationi praedicat opera tua,
Et annuntiant potentiam tuam.
5 Gloriam magnificam maiestatis tuae loquuntur,
Et mirabilia tua pervulgant.
6 Et potentiam terribilium operum tuorum dicunt,
Et magnitudinem tuam enarrant.
7 Laudem magnae bonitatis tuae proclamant,
Et de iustitia tua exsultant.
8 Clemens et misericors est Dominus,
Tardus ad iram et gratiae multae.
9 Bonus est Dominus universis,
Et misericors erga omnia opera sua.
10 Celebrent te, Domine, omnia opera tua,
Et sancti tui benedicant tibi.
11 Gloriam regni tui dicant,
Et potentiam tuam loquantur,
12 Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam
Et gloriam magnifici regni tui.
13 Regnum tuum regnum omnium saeculorum,
Et dominatio tua manet per universas generationes.
Fidelis Dominus in omnibus operibus suis,
Et sanctus in omnibus operibus suis.

14 Dominus sustinet omnes qui cadunt,
Et erigit omnes depressos.
15 Oculi omnium in te sperant,
Et tu das illis escam tempore suo.
16 Tu aperis manum tuam,
Et satias cum benevolentia omne vivens.
17 Iustus est Dominus in omnibus viis suis,
Et sanctus in omnibus operibus suis.
18 Prope est Dominus omnibus invocantibus eum,
Omnibus invocantibus eum sincere.
19 Voluntatem timentium se faciet,
Et clamorem eorum audiet, et salvabit eos.
20 Custodit Dominus omnes qui diligunt eum
Et omnes impios disperdet.
21 Laudem Domini loquatur os meum,
Et omnis caro benedicat nomini sancto eius in saeculum saeculi.

CXLV. 1 *Alleluia.*
Lauda, anima mea, Dominum;
2 Laudabo Dominum in vita mea;
Psallam Deo meo quamdiu ero.
3 Nolite confidere in principibus,
In homine, per quem non est salus.
4 Cum exierit spiritus eius, revertetur in terram suam;
Tunc peribunt omnia consilia eius.
5 Beatus, cuius adiutor est Deus Iacob,
Cuius spes in Domino, Deo suo.
6 Qui fecit caelum et terram,
Mare, et omnia quae in eis sunt,
Qui servat fidem in aeternum,
7 Reddit ius oppressis,
Panem dat esurientibus.
Dominus solvit captivos,
8 Dominus aperit oculos caecorum.
Dominus erigit curvatos,
Dominus diligit iustos.
9 Dominus custodit peregrinos,
Pupillum et viduam sustentat,
Viam autem peccatorum perturbat.
10 Regnabit Dominus in aeternum,
Deus tuus, Sion, in generationem et generationem, Alleluia.

CXLVI. 1 *Alleluia.*
Laudate Dominum, quia bonus est,
Psallite Deo nostro, quia suavis est:
Decet eum laudatio.

2 Aedificat Ierusalem Dominus,
Dispersos Israel congregat;
3 Ipse sanat fractos corde,
Et alligat vulnera eorum.
4 Definit numerum stellarum,
Singulas nomine vocat.
5 Magnus Dominus noster et viribus potens,
Sapientiae eius non est mensura.
6 Sublevat humiles Dominus;
Impios deprimit usque ad terram.
7 Cantate Domino cum gratiarum actione,
Psallite cithara Deo nostro,
8 Qui caelum operit nubibus,
Qui pluviam terrae parat;
Qui producit in montibus gramen,
Et herbam, ut serviat homini;
9 Qui dat iumentis escam eorum,
Pullis corvorum, qui clamant ad eum.
10 Non robur equi delectat eum,
Nec crura viri placent ei.
11 Placent Domino, qui timent eum,
Qui fidunt in bonitate eius.

CXLVII. 12 Lauda, Ierusalem, Dominum,
Lauda Deum tuum, Sion,
13 Quod firmavit seras portarum tuarum,
Benedixit filiis tuis in te.
14 Composuit fines tuos in pace,
Medulla tritici satiat te.
15 Emittit eloquium suum in terram,
Velociter currit verbum eius.
16 Dat nivem sicut lanam,
Pruinam sicut cinerem spargit.
17 Proicit glaciem suam ut frustula panis;
Coram frigore eius aquae rigescunt.
18 Emittit verbum suum et liquefacit eas;
Flare iubet ventum suum et fluunt aquae.
19 Annuntiavit verbum suum Iacob,
Statuta et praecepta sua Israel.
20 Non fecit ita ulli nationi:
Praecepta sua non manifestavit eis. Alleluia.

CXLVIII. 1 *Alleluia.*
Laudate Domino de caelis,
Laudate eum in excelsis.
2 Laudate eum, omnes Angeli eius,

Laudate eum, omnes exercitus eius.
3 Laudate eum, sol et luna,
Laudate eum, omnes stellae lucentes.
4 Laudate eum, caeli caelorum,
Et aquae quae super caelos sunt:
5 Laudent nomen Domini,
Nam ipse iussit et creata sunt,
6 Et statuit ea in aeternum, in saeculum:
Praeceptum dedit, quod non transibit.
7 Laudate Dominum de terra,
Cete et omnia profunda maris,
8 Ignis et grando, nix et nebula,
Ventus procellae, qui facit verbum eius,
9 Montes et omnes colles,
Arbores frugiferae et omnes cedri,
10 Ferae et omnia iumenta,
Reptilia et volucres pennatae,
11 Reges terrae et omnes populi,
Principes et omnes iudices terrae,
12 Iuvenes et etiam virgines,
Senes, una cum pueris:
13 Laudent nomen Domini,
Quia excelsum est nomen eius solius;
Maiestas eius superat terram et caelum,
14 Et altum tribuit cornu populo suo.
Laus est omnibus sanctis eius,
Filiis Israel, populo qui propinquus est ei. Alleluia.

CXLIX. 1 *Alleluia.*
Cantate Dominim canticum novum;
Laus eius sonet in coetu sanctorum.
2 Laetetur Israel de factore suo,
Filii Sion exsultent de rege suo.
3 Laudent nomen eius choro,
Tympano et cithara psallant ei,
4 Quia Dominus diligit populum suum,
Et humiles victoria ornat.
5 Exsultent sancti de gloria,
Laetentur in cubilibus suis.
6 Praeconia Dei sint in gutture eorum,
Et gladii ancipites in manibus eorum:
7 Ut faciant vindictam in gentibus,
Castigationes in populis;
8 Ut alligent reges eorum compedibus,
Et nobiles eorum manicis ferreis;

9 Ut faciant de eis iudicium praestitutum:
Gloria haec est omnibus sanctis eius. Alleluia.

CL. 1 *Alleluia.*
Laudate Dominum in sanctuario eius,
Laudate eum in augusto firmamento eius.
2 Laudate eum propter grandia opera eius,
Laudate eum propter summam maiestatem eius.
3 Laudate eum clangore tubae,
Laudate eum psalterio et cithara.
4 Laudate eum tympano et choro,
Laudate eum chordis et organo.
5 Laudate eum cymbalis sonoris,
Laudate eum cymbalis crepitantibus:
6 Omne quod spirat, laudet Dominum! Alleluia.